JURIS
ECCLESIASTICI
ANALYSIS.

PARS PRIOR.

JUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM.

VRATISLAVIAE,

TYPIS UNIVERSITATIS 1795.

LECTORI.

Prodiit Salemii An. MDCCXCIV, auctore Bernardo Boll ordinem Cisterciensium Professo, *Juris Ecclesiastici Analysis*, in qua universa Jurisprudentiæ ecclesiasticæ œconomia, tabellarem in formam redacta, non minus eleganter, quam solide pertractatur. Sed enim nudas id genus, macrasque formulas in memoriæ potius subsidium, quam ad instituendos disciplinarum candidatos valere, res ipsa loquitur. Itaque id dedi operam, ut servato fere Clari auctoris textu, quæ seu necessaria, seu in rem utilia videbantur,

e penu mea ſuggererem, ſalva mea aliter ſentiendi libertate, ſine qua profecto nec disciplinæ integritati, neque discipulorum commodo ſatis conſulitur.

Inde nata eſt iſthæc, quam curavi, *Analyſis Juris eccleſiaſtici* editio; quæ quoniam Salemianam illam mole ac rebus multum ſuperat, in duas tributa eſt partes, ita ut Pars prior, præter Prolegomena, Jus eccleſiaſticum *Publicum*, Pars vero poſterior Jus eccleſiaſticum *Privatum* complectatur.

Vratislaviæ idibus Sept. MDCCXCV.

MARTINUS PELKA,
Inſtituti lit. reg. Presbyter in Univ. Leopold. Prof. p. o.

ORDO

ORDO MATERIARUM.

PROLEGOMENA

Caput I.

PRAECOGNITA JURIS ECCLESIASTICI UNIVERSALIS.

Caput II.

PRAECOGNITA JURIS ECCLESIASTICI PARTICULARIS GERMANIAE.

PARS I.

JUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM.

Caput I.

HIERARCHIA ECCLESIASTICA, EJUSQUE DIVERSI GRADUS.

CAPUT II.

NEXUS ECCLESIAE CUM CIVITATE.

§. V.

Pag.

JURIS ECCLESIASTICI PROLEGOMENA.

Caput I.

PRAECOGNITA JURIS ECCLESIASTICI UNIVERSALIS.

§ I.

SOCIETAS ET ECCLESIA IN GENERE.

I. Societas in genere est numerus hominum ad jungendas pro fine quodam communi consequendo vires constanti obligatione devinctorum.

Dividitur

a) in *voluntariam*, quæ mutuo, & libero hominum pacto, & *legalem*, quæ Superioris cujusdam, Dei vel hominis, lege constituitur; *a*)

b) in *ſimplicem*, quæ ex perſonis ſingularibus, & *compoſitam*, quæ ex pluribus perſonis moralibus, ſeu ſocietatibus integris coalescit; *b*)

c) in *æqualem*, in qua nec Superior exiſtit, nec ſubditus, & *inæqualem*, in qua unus, pluresve reliquis præſunt;

d) in *liberam*, quæ nulli alteri, & *ſubordinatam*, quæ alteri cuidam ſocietati ſubjicitur;

e) in *univerſalem*, quæ ad omnes omnino homines, aut ſaltem in omnibus orbis partibus ad quamplurimos ſe extendit, & *particularem*, quæ ad aliquos tantum, nec in omnibus locis. *c*)

a) Societas *legalis* ſeu *neceſſaria* talis eſt, qualem legislator, *voluntaria* vero, qualem paciscentes voluere.

b) E pluribus ſocietatibus ſimplicibus oritur ea, quæ *minor*, e compoſitis vero, quæ *major* paſſim dicitur.

c) Omnis ſocietas tum ſolum ſuo in genere *perfecta* erit, cum ſufficientia habuerit ad finem media. Conf. Wolff *Inſt. Juris Naturæ, & Gentium P. III. Sect. I. cap. 1.*

II. Societas major, ut animorum, quorum varii ſenſus & affectus ſunt, circa media ad finem ſocialem obtinendum tum eligenda, tum adhibenda ſtabilis conſenſus habeatur, carere haud poterit

Imperio quod *Poteſtatem*

a) *leges ferendi*, aut eas authentice, ſeu auctoritate vim legis habitura *declarandi*, *d*)

b) de

b) de rebus socialibus *judicandi*,
c) ac *pœnas* in refractarios *decernendi* importat. *e*)

d) Sine legum imperio nec domus ulla, nec civitas nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Cicero *lib. III. de leg.*

e) Wolff *cit. loc. §. 846.*

III. Imperii exercitium seu Regimen in societate voluntaria a sociis, in legali a Superiore determinandum (n. I. not. a.) erit

a) *plenum*, quod omnes imperii partes (n. præced.) complectitur: sin; *minus plenum*;
b) *absolutum*, quod nullis conditionibus, aut pactis restrictum est, sed a solo fine, & societatis natura mensuram capit: secus *limitatum*; *f*)
c) *summum*, quod nulli alteri potestati, seu humano subest imperio: alias *subordinatum*.

f) Originarie imperium in societate voluntaria penes ipsam societatem universam, in legali penes societatis auctorem existens absolutum est, tumque solum, cum in alios transfertur, pro transferentium arbitrio diversa ratione limitatur. Leges, ad quas translati imperii exercitium adstringitur, *fundamentales* sunt, quibus ceu conditione, qua ei delatum est imperium, omnino tenetur societatis Rector.

IV. Ipsius vero Regiminis forma, eodem modo stabilienda, erit

a) *democratica*, si universi ex æquo imperent;

b) *ariſtocratica*, ſi penes aliquos tantum, ceu unam perſonam moralem —
c) *monarchica*, ſi penes unam perſonam phyſicam plenum reſideat imperium;
d) *mixta*, ſi imperium inter unum & plures, vel inter unum & omnes, vel inter omnes & plures fuerit diviſum. *g*)

g) *Mixta* non ex integris formis ſimplicibus coaleſcit, ſed ex tribus aut certe duabus aliquid participat.

V. Eccleſiam in genere ſocietatem dicimus hominum eandem religionem profitentium, cujus finis in animarum ſalute, & connexa eidem Dei Gloria reponitur. *h*)

Etiam huic, ſi major ſit, competit

a) verum *imperium*. *i*)
b) ſi pactitia ſit, a *ſociis*,
c) ſi legalis, ab *inſtitutore* determinandum,
d) ſed ex fine utique ſuo *ſpirituale*, & a civili diſtinctum. *k*)

h) *Religio* hic loci pro determinato Deum colendi, & ſalutem animæ ſuæ operandi modo ſumitur. Quæ ad religionem pertinent *ſacra* vocantur, *interna*, quæ interiorem, *externa*, quæ exteriorem Dei cultum reſpiciunt.

i) Imperium hoc eccleſiaſticum tum univerſim tum maxime intuitu ſacrorum internorum (*imperium in conſcientias*) juri naturæ, & cujusvis religionis indoli adverſum, proinde & Eccleſiam ſocietatem eſſe in republica ſine imperio exiſtentem docuerunt poſt Lutherum *lib.* von der weltlichen Obrigkeit, Samuel Puffendorff, in

in *tract. de habitu religionis Christ. ad vit. civil.* Just. Henning Boehmer in *diss. prælim ad Jus eccles.* § 4, & *tit de majorit. & obedient.* Quibus quid Catholici passim respondeant, vid. apud Maur. Schenkl *Syntagm. J. E. Tom. I.* § 17.

k) Imperium ecclesiasticum *spirituale*, & a civili distinctum esse, ostenditur 1) ex ipso conceptu, & indole sacræ, ac profanæ potestatis, ut quæ fine, mediis, objectis discrepant. 2) Ipsi id æquiores ex Protestantibus fatentur cum Wolffio in *J. N. P. VIII.* §. 64. item 955.

§. II.

ECCLESIA CHRISTIANA IN SE SPECTATA.

I. Christus Dominus 1) ceu Doctor divinitus missus leges naturales authentice declaravit; *l*) 2) ceu verus Legislator, cui data est omnis potestas, V. T. ceremonialibus, ac judicialibus abrogatis *m*) leges novas positivas *n*) in ordine ad Dei cultum, animarumque salutem *o*) sancivit; 3) omnes homines ad eas recipiendas, & unanimi consensu servandas obligavit; *p*) novam ergo religionem (§ I. n. V. not. h.) & societatem ecclesiasticam (ibid. n. V.) instituit.

l) Math. V. 17. 21. XIX. 16--19.
m) Act. XV. Gal. III. 25. V. 2. Hebr. VII. 12.
n) Joan. III. 5. VI 54. Luc. XII. 8.
o) Joan. III. 16. VI. 38 40. XVII. 6. Tit. II, 11. seq.
p) Marc. XVI. 15. 16. Math. ult. 19. 20.

Societas hæc Christiana eſt

a) *univerſalis* Math. ult. 19. Marc. XVI. 15.
b) *legalis.* Marc. XVI. 16. Joan. III. 5.
c) *perpetua.* Math. ult. 20. Joan. XVI. 16. *q*)

q) De veris, atque etiam ſpuriis Eccleſiæ characteribus copioſe, atque accuratiſſime egit Honorat. Tournelius *Curs. Theol. Tom II. quæſt. II. art. 1.*

II. Ne vero imperfecta dici hæc ſocietas poſſet, ſacrum in ea ſtabilivit

Imperium, *r*)

a) quod *ſolis* tradidit *Apoſtolis*, ſolis utpote, cum eam poteſtatem traderet præſentibus. Joan. XX. 21.
b) ut adeo populo nec *commune* ſit, nec *ſubordinatum.* Ego mitto vos. (ibid.) item Act. VI. 3. Ephes. IV. 11.
c) Ex iis tamen elegit *unum*, Petrum ſcilicet cum honore, & auctoritate *Primatem*, *s*) *ut capite conſtituto ſchismatis tolleretur occaſio. t*)

r) *Imperium* Eccleſiæ a Chriſto traditum oſtendunt 1) aperti ſcripturæ S. *textus:* nempe poteſtatem a) *leges ferendi*, & authentice *declarandi* Math. XVIII 18 Joan. XIV. 16. 26 b) *judicandi* Math. XVIII. 15 -- 17. c) *puniendi.* ibid. & Joan. XX 23 2) Apoſtolorum *facta* Act. XV. I. Cor. XI. Gal. I. 8. I. Cor. V. I. Tim. I. II. Cor. X XIII 2.

s) Petro ſingularem prærogativam non honoris tantum, verum etiam jurisdictionis a Chriſto tributam probant, 1) unitatis conſervandæ neceſſitas.

(Conſ.

(Conf. *n. præced lit. c.*) 2) ipſe obvius verborum Math. XVI. 18 19. Joan XX. 16. 17. Luc. XXII. 32. ſenſus. 3) facta, juraque Petri. Act. I. 15. XV, 7. Marc. I 36. Luc VIII. 45; 4) conſenſus Patrum quorum quidem aliqui, dum non tam Petro, quam Eccleſiæ datas claves adſerunt ſolummodo per hoc volunt, claves Petro pro bono Eccleſiæ conceſſas, nec ab eo, niſi ut Eccleſiæ capite fuiſſe geſtatas; aut claves eo ſenſu non tam perſonæ Petri, quacum interirent, ſed Eccleſiæ traditas, quod hæc perpetuo illius poteſtatis ac dignitatis habitura ſit ſucceſſores. Conf Paul a Rigger *Inſtit. Jurispr Eccles. P I. § 19 & 24 ſeq*

t) Verba ſunt S. Hieronymi *adverſ. Jovinian.* lib. I., cui adeo conſentiens eſt univerſus Patrum chorus, ut ſummæ temeritatis argumentum eſſet alium, quam unitatis in Eccleſia conſervationem, inſtituti a Christo Primatus finem ſtatuere. Conf. *Idem cit loc.* § 30.

III. In Eccleſia ad finem mundi duratura (n. I. lit. c,) continua datur Imperantium ſucceſſio, & quidem

1) Petro in Primatu ſuccedere Romanos Episcopos

a) ex ipſo *facto Petri* Romæ aliquamdiu commorantis, ibique martyrio defuncti, primorum Patrum teſtimoniis, ac monumentis ab omni retro prima Eccleſiæ ætate exiſtentibus comprobato; *u)*

b) ex unanimi totius Eccleſiæ ad hæc uſque tempora *conſenſu; v)*

c) et primorum Romæ Pontificum *geſtis x)* evincitur. *y)*

 u) Sui

u) Sui in urbem Romanam adventus ipse quoque S. Petrus testis est I. *epist. cap. ult.* 13. Mirum itaque extitisse a seculo. XVI. non paucos, qui id Petri factum negarunt. Nomina eorum recenset Mamachius *Orig & antiquit. eccles. Tom V.* argumenta repetit Moshemius *Theol. polem. Cap. I Sect. I.* Catholicorum vero responsa indicat Paul. a Rigger *cit. loc.* § 31. *seq.*

v) In concilio Florentino utriusque Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ consensu his verbis decretum perscriptum est: *Definimus sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere; & ipsi in B Petro pascendi, regendi, gubernandi Ecclesiam universalem a Christo plenam potestatem traditam esse.* Quid? quod Concilium *Constantiense* ipsum, condemnando Wicleffi hanc propositionem: *Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias;* & alteram Hussii: *Romanus Pontifex non est caput Romanæ Ecclesiæ:* Primatum hunc satis confirmat. Plura Conciliorum & Patrum testimonia vid: apud Natal. Alexandrum *dissert. IV. in hist. eccles. sec. I.*

x) Romanorum Pontificum gesta, e quibus Primatus eorundem eruitur, retulit idem Nat. Alexander *cit. loc.* & Gazzaniga *Theol. polem. Tom. II Sect VI. cap. 4.*

y) Quibus constantem hanc de Romano Primatu traditionem convellere se posse contendunt Protestantes, vid. apud Bellarminum *lib. de Rom. Pontif* aut in compendium redacta apud Rigger *loc. cit.* §. 44. *seq.*

2 Apo-

2) Apostolis vero ita reliqui succedunt

Episcopi, z) ut

a) plenam, ac *propriam* proxime a Christo accipiant potestatem. „Non ab hominibus — sed per Jesum Christum. Gal. I. 1.„ *a*)
b) sed unitatis caussa Primati *subordinatam*; *b*)
c) ad Diœceses quidem *quoad exercitium* vulgo *restrictam*; *c*)
d) quo tamen non obstante *universi* seu dispersi, seu in Synodis congregati *universali Ecclesiæ præesse* recte dicuntur, *d*)
e) utpote in rebus fidei, morum, & disciplinæ jure *suffragii decisivi* gaudentes: visum est Spiritui sancto, & Nobis. Act. XV. 28. *e*)
f) & in dogmatis definiendis, siquidem cum suo capite, ac fundamento, Primate scilicet, uniantur, *infallibiles*. Portæ inferi non prævalebunt. Math. XVI. 18. *f*)

z) *Episcopos* esse Apostolorum *Successores* 1) factæ ab Apostolis ordinationes, quarum catalogum texit Binghamus *Orig. eccles. lib. II. cap. I. §. 4* 2) traditio Ecclesiæ, cujus testis Tertullianus *de præscript. cap. 32.* 3) Concilium Trident. *Sess. 23. cap. 4.* docent.

a) Conf. Paul. a Rigger *cit loc. §. 20 seq.* Quid vero in Concil. Trident. super deliberationibus hac de re institutis actum sit; vid. Natal Alexandr. *Hist. Eccles. Tom. VIII. diss. 12. §. 2. seq.*

b) „*Hoc optimum, ac valde congruentissimum judicabitur, si ad caput, id est, ad Petri sedem de singulis quibusque provinciis domini referant Sacerdotes*“ Synod. Sardic. ad Julium P. anno 347. Conf. S. Irenæus *lib III advers. hæreses cap 3.*

c) Secundum illud I. Petr. V. 2. Tit. I. 5. Apocal. II 1. 8. 12. 18. III. 1. 7. 14.

d) „*Episcopatus unus est, cujus a singulis pars in solidum tenetur.* S. Cyprian: *lib de unit eccles*, cujus sententiæ quis sensus sit, idem ipse S. Cyprianus *epist 68* explicat.

e) Melchior Canus de *locis theolog. lib V. cap. 5.* Bossuet in *defens. declarat: Cleri Gallicani lib 13 cap 20*

f) Tournelius *Curs. Theol. quæst. II art. 3.* Conf. Simperti Schwartzhüber Praktisch=katholisches Religions=Handbuch 2 Band. Anhang. *edit. 3.*

IV. Universum hoc Ecclesiæ Imperium ex institutione sua

a) *sacrum* prorsus est et *spirituale.* g)
b) a politico *independens* h)
c) in suo ordine *summum* (*ex defin.* §. *I. n. III. lit. c.*)
d) intuitu Christi tamen mere *administratorium:* ut ministros Christi I. Cor. IV. 1.
e) et cum evangelica plane *modestia* & *caritate* ad Christi, & Apostolorum normam exercendum. I. Petr. V. 2. 3. Luc. XXII. 26. seq.

g) Imperium enim Ecclesiæ, ut cujusvis alterius societatis, fini ejusdem respondeat, necesse est; adde Luc. XII. 14. Joan. VI. 15. XVIII. 36.

h) Chri-

b) Christus enim solis Apostolis illud tradidit; (*præced. n. II. lit. a.*) præterea differt natura sua a civili, quod temporalem felicitatem, a quo spiritualis nequaquam dependet, pro scopo habet; nullo ergo pacto humano seculari potestati subordinari potest; id quod ex traditione, atque Principum orthodoxorum verbis factisque uberius demonstratur. Conf. Barthel *Tom. I. op. 2. de jure reform. antiq. art. 7.* Adversariorum argumenta non minus solide, ac erudite resolvit Paul. a Rigger *cit. loc. §. 179. seq.*

V. Præter Episcopalem alii quoque in Ecclesia obtinent gradus, & quidem

1) Divina ordinatione dantur

a) *Presbyteri* seu sacerdotes secundi Ordinis, Episcopis ordine, & jurisdictione inferiores. *i*)

b) *Diaconi* non solum ad profanæ mensæ ministerium, sed ad sacra quoque munia ab Apostolis destinati. Act. VI. *k*)

i) Presbyteros Episcopis pares esse defendebant post Aerium, qui seculo IV. spe episcopatus, quem ambierat, frustratus Episcoporum dignitatem deprimere conabatur, inter ceteros Salmasius *lib. de foenore Trapezitico, deque Episcopis & Presbyteris:* Blondellus *in Apolog. S. Hieronymi:* Buddæus *dissert. de orig. & potestate Episc.* Walchius *in Compend. antiq. Eccl. lib. I. cap. 3.* Primum refutavit Dionysius Petavius *lib. diss. eccles:* alterum Natal. Alexander *hist. eccles. sec. IV. diss. 44* reliquos Mamachius *Orig. & antiq. eccl. Tom. IV. pag. 316. seq.* ita ut constans jam sit Catholicorum doctrina, Episcopos non modo potestate *ordinis*, verum etiam *jurisdictionis* presbyteris esse *superiores*:

res: quamvis quoad poteſtatem juriſdictionis id nondum Eccleſia conceptis verbis definivit; imo ipſa Synodus Tridentina, cum *Seſſ. XXIII can.* 7. Epiſcoporum præeminentiam declaravit a verbis *jure divino* de induſtria abſtinuit, inſertionem eorum Canoni, adverſus Italos eidem repugnantes petentibus Gallis, & Hiſpanis Epiſcopis. Pallavicini *hiſt. Concil Trident. lib. XVIII cap* 14.

k) Conf. Natal Alexand. *hiſt. eccles. ſec. I. diſſ.* 7 *Tom. III pag.* 143.

2) Ordinatione Eccleſiaſtica,

a) *Subdiaconi*, qui Diaconos ſublevarent:

b) *Ordines minores*, de quibus variam apud Orientis, & Occidentis Eccleſias invenies disciplinam. *l*)

l) De hisce ordinibus breviter quidem, at pro more ſuo erudite diſſeruit Fleury *inſtit. J. E. P. I. cap* 6. 8.

VI. Imo & juriſdictionis quædam ſubordinatio inter Epiſcopos, aliosque ſalvo Primatu recti ordinis gratia moribus primum, mox legibus firmata eſt. Unde

a) *Patriarchæ, Exarchæ, Primates, Metropolitæ.*

b) *Archipresbyteri, Primicerii, Archidiaconi &c.*

c) *Cardinales. Abbates, Generales Ordinum. &c.* inſignes obtinuere dignitatis, auctoritatisque prærogativas. *m*)

m) Suo loco de his omnibus redibit ſermo; uberiorem

rem interea notitiam qui cupit, consulat Bingham: *Orig: Eccles. lib. II. cap* 17. Petr. de Marca *dissert de Primatu*. Thomassin: *de veter. & nova Eccles. discipl. P. I.*

VII. Ex his sequentia fluunt

COROLLARIA.

a) Ecclesiæ genuinum systema non humano arbitrio, ut Protestantes volunt, sed Christi maxime voluntate esse metiendum (§. *I. n. I. not. a. & § II. n. I. lit b*)

b) Ecclesiam Christianam *non* esse *collegium æqualium* sed *Societatem inæqualem, perfectam,* & *liberam.* (*§ I. n. I. lit. c. d. not. c. §. II n. II. lit. a b. c. n. IV. lit. b.*)

c) Adeoque eam recte definiri ceu Societatem hominum, qui ejusdem Christianæ religionis professione, et exercitatione sub imperio legitimorum Pastorum, Episcoporum, ac unius summi Primatis ad spiritualem et æternam felicitatem tendere obligantur. *n*)

d) Formam Regiminis *aristocratico-monarchicæ* speciem præseferre, ni melius eam singularem, aut Christo-cratiam dicere malis. *o*)

e) Tandem in ea Hierarchiam existere partim *divina*, partim *humana*, quæ tamen divinæ præjudicare nequit, ordinatione constitutam. *p*)

n) Ec-

n) Ecclesiæ in jure varia est significandi potestas, neque una, & perpetua in scriptoribus appellatio. Conf. Honorat. Tournelius *Curs. Theol. Tom. II. quæst I. art. 1. & 2.* ubi eruditissimus hic Theologus varias hujus vocis significationes illustrat, atque varias Ecclesiæ Christianæ definitiones accurato judicio in examen revocat.

o) *Pure monarchicam* in Ecclesia Christiana regiminis formam defendebat Cardinalis Orsius *de Rom. Pontif. auctorit. lib VII* cum Bellarmino *de Rom. Pontif.* & Mamachio *Orig. Eccles. lib. IV.;* verum sententia hæc non probatur Gersonio in *Tract. de potestat. eccles.* Bossueto in *defens. declarat. Cler. Gallic lib. 13.* & plerisque recentioribus, quorum aliqui ita eam negant, ut nec aristocratico-monarchicam quidem regiminis formam admittant, *Christo-cratiam* potius statuendam esse contendentes, utpote quia Christus ipse Spiritu suo Ecclesiæ præsens ipse eam regit, ipse cum ea ad consummationem usque seculi mansurus est.

p) Per *Hierarchiam* enim ecclesiasticam seriem personarum intelligimus, quæ in Ecclesia aliæ aliis potestate quadam sacra, stabilique, omnibus fidelibus haud communi subordinatæ sunt: atqui talem personarum seriem in Ecclesia dari (*n. III. V. VI. h. §.*) demonstratum est. Hanc vero Hierarchiam aliam *jurisdictionis*, *ordinis* aliam, utramque aut divina, aut humana ordinatione constitutam esse, ex indole potestatis sacræ aut a Deo, aut ab hominibus certis personis collatæ intelligitur. Conf. Concil. Trident. *Sess. 23. cap. 6.*

§ III.

§. III.

JURIS, ET JURISPRUDENTIAE ECCLESIASTICAE INDOLES, PRINCIPIA, ADMINICULA.

I. Complexus illarum legum, quibus Ecclesia a Christo constituta ceu societas visibilis quoad forum præcipue externum dirigitur,

Jus Ecclesiasticum vocatur. q)

Dividitur

1) in *naturale*, & *positivum*, hoc
 a) in *divinum*, & *humanum*,
 b) *scriptum*, & *traditum*.
2) in *privatum*, & *publicum*;
3) in *universale*, *particulare*, & *speciale*;
4) in *antiquum*, *novum*, *novissimum*. r)

q) Differt itaque a *Theologia morali*, quæ Christiani hominis officia & leges *fori* maxime *interni*; & a *dogmatica*, quæ regulam non tam *agendorum*, quam *credendorum* exhibet.

r) Conf. Stephanus a Rautenstrauch *Prolegom. Juris Eccles.* §. 8 *seq.*

II. Habitus leges ecclesiasticas ex suis principiis demonstrandi, interpretandi, ac rite ad casus obvenientes applicandi

Jurisprudentia sacra audit. s)

1) Necessaria
 a) *Clericis* ad munia & jura sua dignoscenda; t)

b) &

b) & *laicis* caussarum judicibus ad lites decidendas. *u*)

2) Suo studio jam sat amoena,

a) ob variam eruditionis gratiam,

b) ob concinniorem methodi ordinem. *v*)

s) Jurisprudentia ecclesiastica duabus absolvitur partibus *theoretica* una, *practica* altera; prima in sola cognitione legum consistit, atque adeo *Jurisscientiæ* accepit nomen; altera leges cognitas factis & circumstantiis particularibus applicat, unde *Jurisperitia* dicta est. Darjes. *Instit. Jurispr. univ.* §. 3. *edit.* 6.

t) Huc referuntur S. Canones *Cap.* 2. *dist.* 36. *C* 1. 4. 6. 7. *dist.* 28. Concil. Trident. *Sess.* 25. *C* 21. eadem *Sess. C.* 8. 16 *Sess* 22. *C.* 1. quibus omnibus Jurisprudentiæ Eccles. studium Clericis commendatur.

u) Inprimis quæ circa jus patronatus, sponsalitium, decimas, & similia in foro etiam politico discutiuntur. Conf. de Martini *de officiis eorum, qui gubernant Civit.*

v) Van Espen *præfat. ad Tom. V. J. E.* Zallwein *J. E. Tom. I. quæst. I. cap.* 3 §. 1. Joseph. Anton. de Rigger *perorat. inaug. de amoenit. studii J. E.*

III. Inter Juris Ecclesiastici Principia numerantur *x*)

1) Jus naturæ; ubi cavendum

a) ne Deus, aut vita futura negligatur;

b) ne pro unica Juris hujus regula habeatur;

c) ne contra legem Christi Ecclesiæ applicetur. *y*)

x) Ne.

x) Necessitatem principiorum demonstrandi in Jurisprudentia ecclesiastica vel ipsa ejus dignitas (*n. præced.*) loquitur. Pro *criterio* eadem cognoscendi hæc præpositio adsumitur: omne illud, ex quo voluntas legis latorum Ecclesiæ cognosci potest, inter principia Jurisprudentiæ ecclesiasticæ est numerandum. Conf. Paul. a Rigger *cit. loc.* §. 210. *seq.*

y) Quantum commodi jus naturæ servato hoc moderamine in evolvendis ecclesiasticis legibus adferre possit, erudite ostendit Idem *cit. loc. cap. IX.*

2) Scriptura sacra; z) in qua
a) Veteris T. leges tantum morales obligant;
b) Novi T. præceptis a Christo latis statui quidquam contrarium nequit;
c) *Divinæ* tamen leges ab *Apostolico-humanis* probe discernendæ sunt; *a*)
d) argumenta vero solida ex sensu maxime litterali, & rite probato petenda.

z) Conf. *diss.* die geistlichen Gesetze aus der heiligen Schrift hergeleitet. A. d. Franz. übersetzt von Gr. v. Auersberg. Augsb. 1773.

a) Discrimen illud jam ab Apostolo traditum est I. Cor. VII. 10. 12. Ephes. V. 31. atque ad id præprimis valet, ut, quænam leges mutationi, aut abolitioni obnoxiæ sint, quæ non, determinari possit.

3) Traditiones; inter quas
a) *genuinæ* a *spuriis*,
b) *divinæ* ab *humanis* bene secerni, *b*)
c) ac circa illas Ecclesiæ infallibilis judicium cumprimis adtendi debet. *c*)

b) *Characteres*, quibus traditionem divinam ab humana, genuinam a spuria discernere poteris, vid. apud P. Honoratum a S. Maria *in animadvers. in regulas*, *&* *usum crit. lib. I. diss. III.*

c) Declarata per hoc Ecclesiæ judicium traditione quapiam ceu genuina omnis *quæstio facti* exulat. Zallwein *Princip. J. E. Tom. I q II. cap. 3. §. 6.*

4) Scripta SS. Patrum; quorum

a) testimonia, si consentiant, certæ veritatis criteria sunt; *d*)

b) singulorum vero aut paucorum auctoritas haud quidem temere abjicienda est, *e*)

c) semper tamen ad sobriæ critices regulas examinanda. *f*)

d) Patrum enim chorus universus Ecclesiam *docentem* constituit, errante hac *discentem* quoque errare necessum erit; quod quia cum infallibilitatis privilegio Math. ult. Ecclesiæ concesso conciliari nequit, asserendum est: testimonia Patrum consentientia veritatis signum esse.

e) Minime tum, quando de dogmate *practico* testantur Patres.

f) Præcipuas, ex supra citato P. Honorato a S. Maria, aliisque probatis Authoribus excerptas, refert Steph. a Rautenstrauch *cit. loc. §. 102.* Conf. Guilielmi Cave *prolegom. in hist. litterar. Scriptor. eccles. Sect. IV. V.*

5) Canones Conciliorum; hic

a) Concilia *generalia* a *particularibus*,

b) decreta eorum *dogmatica* a *disciplinaribus*,

c) ra-

c) *rationes*, *consilia* &c. ab ipsis Synodorum generalium *legibus* diversam sortiuntur auctoritatem. g)

g) Conf. Melchior Canus *de loc. theol. lib. V.* Zech. *Præcognita J. E. Tit. IX.*

6) Ecclesiæ etiam dispersæ

Consensus, Consvetudines, & Observantiæ;

Ille

a) parem habet cum Conciliis auctoritatem, *h*)
b) siquidem verum esse prius constiterit. *i*)

Hæ

a) divinis legibus haud contrariæ,
b) nec Ecclesiæ bono noxiæ esse debent.

h) Quis enim Ecclesiam ipsam veram, realem, & universalem, cujus modi est ea, quæ per orbem universum diffunditur, minoris fore auctoritatis dixerit, quam quoddam velut compendium totius Ecclesiæ, quale quidem est Concilium? Adde: quod nascentis Ecclesiæ seculis, quibus convenire in Synodum oecumenicam non licebat, solus Ecclesiæ consensus exortis tum hæresibus decretorie condemnandis sufficere existimaretur. Exempla refert Eusebius *hist. eccles. lib. IV. cap. 7. lib. V. cap. 16*

i) *Consensus* omnium *Ecclesiarum* a consensu *scholasticorum* differt. Olim ex epistolis communicatoriis de Ecclesiæ consensu perfacile constare potuit; hodie ad libros symbolicos, Synodos nationales, provinciales, diœcesanas, nec non Catechismos publicos, ac Ritualia confugiendum est, ut, num verus sit, innotescat.

7) Summorum Pontificum decreta; *k*) circa quæ adtendendum,

a) ne ea, quæ ad juris divini interpretationem pertinent, cum disciplinaribus,
b) aut caussæ singulares cum iis, quæ universam Ecclesiam spectant, æqua lance ponderentur:
c) examinandum, an rite sint promulgata, aut recepta;
d) aut an a singularibus quorundam juribus legitimis suo robore non destituantur.

k) Infra (*P. I. J. E. cap. I.*) potestas leges pro universa Ecclesia ferendi Rom. Pontifici vindicabitur; hic loci id notasse sufficiet: ab antiquissimis plane Ecclesiæ temporibus decreta Romanorum Pontificum inter Ecclesiæ leges numerata fuisse, ut id Collectiones Canonum vetustissimæ, de quibus mox sermo erit, abunde testantur.

8) Juris civilis, aut Principum Constitutiones, *l*) ubi videndum,

a) an forum suum non excedant,
b) quantum cum SS. Canonibus consentiant. *m*)

l) „*Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita & sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur.*„ *de nov, op nunt. c. 1.* Quam verum id sit, ex Codice Theodosiano, Justinianeo, Capitularibus Regum Francorum, nec non ex recentissimo Codice universali Prussico P. II. Tit. XI. seq. abunde liquet.

m) Horum omnium hactenus enumeratorum Jurisprudentiæ ecclesiasticæ Principiorum cognitio uberior commode ex *Prolegom. J. E* Steph. a Rau-

a Rautenstrauch hauriri poterit, utpote quorum explanatio integro cap. III. & IV. continetur. Adde Melchior-Cani *de locis Theol.* Zallwein *Princip. J. E. U. & part. Germ.*

IV. Adminicula Juris sacri proximiora sunt *n*)

a) Historia *ecclesiastica* generatim:
b) Historia *legum* ecclesiasticarum:
c) Historia *Jurisprudentiæ* sacræ *litterariæ*:
d) maxime vero sana in omnibus *Critica*.
e) Imo Jus naturæ & civile, quæ inter juris sacri principia reposuimus, recte sub alia ratione ejus adminicula dicuntur. *o*)

n) *Adminiculorum* Juris ecclesiastici nomine veniunt ea, quæ nimirum legum ecclesiasticarum rationem sufficientem haud continent; at in cognitionem principiorum ducunt, eorumque usum expeditiorem, & Juris ecclesiastici notitiam pleniorem reddunt, ac solidiorem.

o) His adnumerant plerique *Geographiam sacram*, & *Chronologiam*, *Theologiam* etiam inprimis *dogmaticam*, quarum disciplinarum, uti & Historiæ, atque Critices in Jure ecclesiastico usum exposuit Paul a Rigger *Inst J E. P. I. Sect. III.* *De necessario Jurisprudentiæ naturalis cum Ecclesiastica nexu, & illius in hac usu* egit Endres diss. singulari *cap. I* § 19. *seq*, *Civile* vero jus arctissime cum *Ecclesiastico* necti vel inde intelligitur: quod 1) eædem pene leges frequenter in utroque obveniant, aut varias in alterutro determinationes admittant; 2) eædem non raro materiæ, quæ fori sint alterius, pertractentur in altero; 3) quæ in uno jure desiderantur, repetantur ex altero.

§. IV.

JURIS SACRI COLLECCTIONES, HISTORIA LITTERARIA, AUCTORITAS.

I. Primis tribus Ecclesiæ seculis nulla exstabat legum ecclesiasticarum Collectio; p) nam

a) Canones, ut dicuntur, Apostolorum,

b) et Constitutiones iisdem adscriptæ incassum tantorum Virorum nomina in fronte gerunt. q)

p) Imo præter scripturas divinas, & præcepta, quæ Apostoli pro re nata, eorumque Successores de ore ad os tradiderunt, perpaucas alias Ecclesia leges habuit. Quemadmodum enim ob insignem, qua Christiani tunc fervebant, caritatem lites inter eos exulabant: ita neque legibus multis opus habuit eximia eorundem probitas, ad quas sanciendas neque Synodi satis commode tum poterant convocari.

q) *Canones* vulgo dictos *Apostolicos* in Corp. J. C. *Novellis* Leonis Imp. adjectos legimus. *Constitutiones* Apostolorum ex Fronto Ducæi Commentar. Zonoræ in novissimam suam Conciliorum editionem transtulit Labeus *Tom. I.* Nec illorum, nec harum Apostolos auctores dici posse ostenderunt dudum viri omni ecclesiasticæ eruditionis genere ornatissimi Natal. Alexander *Hist. eccles. Sec. I. diss* 15 18, Joan. Doujat *prænot. J. E. lib. III. cap. II,* &c.

II. Postmodum vero multiplicatis variis ex caussis legibus occurrunt in Ecclesia Orientali

a) *Consequentia Canonum*, post Concilium Constantinopolitanum I. circa annum 385.
b) *Codex Canonum* universæ Ecclesiæ, post Concil. Chalcedon: anno 451.
c) *Concordia Canonum*, ut creditur, a Joanne Scholastico adornata circa medium sec. VI.
d) *Nomocanon* post annum 574, eidem auctori adtributus.
e) *Nomocanon* Photii circa annum 883.
f) *Synopses Canonum* Michaelis Pselli circa annum 1071. & Alexii Aristeni circa an. 1130.
g) *Epitome Canonum* Simeonis Longothetæ circa medium sec. XII. *r*)

r) Argumentum, dispositionem, auctoritatem harum collectionum vid. apud mox laudatum Doujat *cit. loc. cap. III.* — *XI.*

III. In Ecclesia vero Occidentali, quæ nos propius respicit, tres distinguimus Epochas, quarum celebriores adponimus Collectiones.

1) Epocha Juris antiqui continet

a) *Codicem Canonum* ante Concilium Chalcedonense, a græco diversum, cui & *Canones Sardicenses* insertos fuisse vix dubium est. *s*)
b) *Collectionem Canonum* Dionisii Exigui sec. VI. *t*)
c) *Synopses* sub variis inscriptionibus varias, scilicet Fulgentii Ferrandi, Marti-

ni Bracarensis sec. VI. Cresconii, Isidori Hispalensis sec. VII. Hadriani, qui Codicem a se compilatum Ingilramno tradidisse perperam dicitur, sec. VIII. *u*)

d) Isidori Mercatoris seu Peccatoris *collectionem Conciliorum*, & *Decretalium* sec. VIII. ad finem vergente, cujus spuriæ merces magni primum habitæ, nunc merito rejectæ. *v*)

e) Tandem *Canonum libros*, quos meliori studio compilarunt sec. X. Regino Prumiensis Abbas; sec. XI. Burchardus Wormatiensis, & Ivo Carnotensis Episcopi. *x*)

s) Cum ab Orientalibus pro asserenda Episcopo CP. prærogativa in Concilio Chalcedon. *act.* 16. lectus esset Canon III. Constantinopolit: Synodi, Lucentius Sedis Apostolicæ Legatus dixit: *Canones hujus Synodi in constitutionibus synodicis non habentur.* Unde conjiciunt, Lucentium habuisse codicem a græco diversum. Id quoque ex *epist.* Innocentii ad Theophilum Alexandr., quæ 31. numeratur in *Concilior. Collect.* Labei, eruitur. Auctus est postea Codex iste Canonibus aliorum Conciliorum, ut constat ex edit. ejusdem Parisiis an. 1675. per Paschasium Quesnellum sub titulo *Appendicis ad opera S. Leonis M.* adornata.

t) Consulatur Van Espen *diss. V. de Codice Dionisii.*

u) De his Synopsibus egit Doujat *loc. cit. cap. XVI. XVII. XVIII. XIX. XXI.*

v) Præcipua *novi* hujus juris capita recenset Fleury *diss. IV. in hist. Eccles. Spuritatis notas* indicat

cat Steph. a Rautenstrauch *cit. loc.* §, 27. e quibus tamen nihil prorsus contra Rom. Pontificis auctoritatem inferri posse eleganter ostendit Baronius pluribus *Annal. eccles.* locis, præsertim *an. 865. n. 8. 9.*

x) Reginonis opus reperitur in Conciliis Germaniæ, quæ Archiepiscopi Pragensis Joannis Mauritii sumptu prodiere. Tomo II. Burchardum Reginone longe inferiorem sequutus est Ivo, paucis additis, & mutatis, ut monet Anton. Augustinus in *Tract. de Collector. Canonum.* Conf. Doujat *loc. cit. cap. XXII. XXIII. XXVII. XXVIII.*

2) Epocha Juris novi commune Juris Canonici Corpus complectitur, cujus partes sunt

a) *Decretum* Gratiani in tres partes distributum an. 1151.

b) *Decretales* opera S. Raymundi de Pennafort jussu Gregorii IX. congestæ, ac V. libris distinctæ an. 1230.

c) *Decretalium liber* VI. auctore Bonifacio VIII. an. 1298.

d) *Clementinæ* a Clemente V. concinnatæ, & a Joanne XXII. publicatæ an. 1317.

e) *Extravagantes* Joannis XXII. circa an. 1340.

f) *Extravagantes Communes*, ubi plurium a Clemente V. usque ad Sixtum IV. Pontificum Constitutiones adducuntur, collectæ circa an. 1484. y)

y) Recentioribus Corporis J. Can. editionibus adjungitur *lib. VII. Decretal.* seu Canones sub finem

 sec.

ſec. XVI. privata opera a Petro Mathæi Jurisconſulto Lugdunenſi collecti; item Pauli Lancelloti *Inſtitutiones Juris Canonici*, compendium nempe ad imitationem Juris Civ. adornatum; verum neuter auctoritatem publicam obtinuit. De prioribus Juris novi partibus, uniuscujusque partis auctore, tempore, ordine, auctoritate accuratiſſime diſſeruit Doujat *lib. IV. cap. I.* usque *XXV.*

3) Ad Epocham Juris ſacri novisſimi pertinent

a) *Decreta Conciliorum* a ſec. XV. celebratorum, maxime Tridentini; z)

b) *Bullæ Pontificiæ*, quarum ingentem numerum Bullarium magnum ſuppeditat. a)

c) Denique *Curiæ Romanæ Tribunalium*, & variarum *Congregationum* deciſiones, & declarationes. b)

z) De iis Conciliis hic imprimis ſermonem eſſe, quorum auctoritas extra omne dubium eſt, ſponte ſua intelligitur; Talia vero ſunt *Conſtantienſe*, *Florentinum*, *Lateranenſe V.* Legi de iis inter ceteros meretur Natalis Alexand. *Hiſt. eccles. ſec. XV.* Conf. vero Biner *Theſaur. eruditionis P. III.*

a) Ampliſſimam *Bullarum Collectionem* orſus eſt Antonius Carafa Cardinalis, qui epiſtolas Pontificum a Clemente I. usque ad Gregorium VII. collegit. Hanc locupletavit dein epiſtolis Pontificum uſque ad Innocentium III. adjectis notis criticis, & diſſertationibus Petrus Conſtantius Pariſiis an. 1721. Primus ſub *Bullarii* nomine in unum Corpus omnes Pontificum conſtitutiones cogere voluit

Laer-

Laertius Cherubinus, quod opus ad Pauli III. tempora pertexuit; filius vero ejus Angelus Maria Laertius usque ad Urbani VIII. Pontificatum produxit. Continuarunt illud usque ad Clementem X. & annum 1672. Angelus a Latusca & Joan. Paul. a Roma. Novissime magnum Bullarium Romanum Luxemburgi seu Genevæ an. 1771. prodiit, ejusque continuatio, constitutiones Pontificum a Leone M. ad hujus usque seculi medium & ultro in se se complectens.

b) *Curia Romana* Senatum Summi Pontificis denotat, in quo caussæ ad sedem Papalem delatæ expediuntur. Dividitur in plura *Tribunalia*, & *Congregationes;* ad illa pertinent 1) *Consistorium*, 2) *Cancellaria*, 3) *Dataria*, 4) *Poenitentiaria* 5) *Signatura*, a) *Justitiæ*, b) *Gratiæ*, 6) *Rota Romana;* ad has vero. 1) *Congregatio S. Officii*, 2) *Indicis*, 3) *super negotiis Episcoporum, & Regularium*, 4) *Rituum*, 5) *immunitatis Ecclesiæ*, 6) *examinis episcoporum*. 7) *Cardinalium Concilii Trident: Interpretum*, aliæque plures, quas Cardinal: de Luca in *Relat. Curiæ Rom.* Haunold Pletenberg *notit. congregat: & tribunal. Curiæ Rom.* Jacob Cohelius *de not. Cardinal.* fusius descripsere.

IV. Historia litteraria Jurisprudentiæ tribus Periodis absolvitur;

1ma) undecim prima secula complectitur: hic

a) scientia ista simplicitate ac puritate sua se se facillimam præbuit; *c*)

b) paulo difficilior facta, cum seculo VI. & deinceps varia scripta, *Pannormia*, *Synopses*, *Nomocanones* prodirent; *d*)

2dum)

2dam) a ſeculo XII. computamus: tum

a) Jurisprudentia ſacra præcipue Bononiæ ſtudium academicum evaſit; *e*)

b) Sed per methodum ſophiſticam a *Decretiſtis*, & *Decretaliſtis* gloſſis ac tractatibus involutum potius, quam excultum. *f*)

3am) a ſeculo XVI. ordimur, cum

a) adhibitis ſcientiis ſubſidiariis & Critica juris Canonici notitia a Gallis & Germanis exculta, *g*)

b) ac noſtro demum ævo ad inſignem etſi non ſupremum perfectionis gradum evecta eſt. *h*)

c) Pauciſſimæ enim tum dabantur leges (*præced. n. I.*) omneque ſtudium J E. forte in condiſcendis canonibus ordine fere chronologico congeſtis acquievit.

d) *Pannormiæ* canones, ut ajunt, in extenſo, *Synopſes* ſummam, ſenſumque illorum, *Nomocanones* eccleſiaſticas leges una cum civilibus complectebantur in titulos pro argumenti diverſitate diſtributas, adſcitis in Oriente ſententiis Patrum, in Occidente vero Romanorum Pontificum decretalibus. Hæc coordinatio ſæpe operoſa artis formam Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ dederat; inde vero eſt, quod hujus diſciplinæ ortum quidam ad ſeculum VI. revocent. Conf. Nettelbladt *Init. Hiſt. litt Jurid.* §. 228.

e) Confirmato nimirum in uſum ſcholarum Decreto Gratiani per Eugenium III, ac ipſo Gratiano cum Reynero Bellapecora Canonum Profeſſoribus conſtitutis, qui ad normam Juris Cæſarei Jus Eccles. docebant, hancque metho-

methodum per discipulos suos in alias terras diffundebant. Nettelbladt *cit. loc.* §. 241.

f) *Decretistæ* Gratiani Decreto, *Decretalistæ* Pontificum Decretalibus dabant operam. Adversarios nacti sunt *Legistas* Juri civili contra Canonicum extollendo totos intentos. Inde disputationes subtiles, innumeræ Glossæ & tractatus methodo scholastica, problematica exarati omnem Jurisprudentiam fecerunt arbitrariam. Conf. Fleury *diss. V in hist. eccles.*

g) Hac periodo enati sunt *Humanistæ*, *Realistæ*, *Reconcinnatores* legum, & *Methodistæ*, quorum singuli suis studiis plurimum ad excolendum Jus eccles. contulerunt. Correctum præterea est Decretum auctoritate publica; imo & universum Jus per sapientissima Concilii Tridentini statuta, Jurisque naturalis præcepta, quæ reviviscente litterarum elegantiorum cultu liquidiorem in lucem proferri cæperunt, reformatum. His factis sane velut porta aperiebatur, qua in viam sibi monstratam & Galli & Germani, quorum præcipuos recenset Doujat cit. loc. lib. V, feliciter excurrebant.

h) Testantur id opera fere innumera in catalogis libr. & Ephemeridibus litterariis reperiunda. Conf. Ernest. Christiani Westphal Systematische Anleitung zur Kenntniß der besten Bücher in der Rechtsgelahrheit. Leipzig 1774.

V. De usu & auctoritate Juris canonici sequentia statuimus:

1) Corpus Juris canonici

a) auctoritatem suam maxime *receptioni* debet; *i*)

b) præsertim in Germania nostra, ubi per publicas Imperii Constitutiones ita firmatum

tum est, ut saltem per *aversionem* vim legis communis habeat. *k*)

c) Nihilominus illi Jus publicum universale, & particulare, Leges ac consvetudines patriæ in negotiis tam publicis, quam privatis præferantur. *l*)

i) Id de Gratiani Decreto valere solummodo asserunt plures, Decretalibus ipsis potiorem auctoritatem ex lege nimirum Gregorii IX. Pontificis promanantem, vindicantes. Inter hos referuntur Petr. de Marca *lib. III. de Concord. Sacerd. & Imper cap. 6.* Anton. Augustin: *de Gratiani Decreto in epist. Can. poenit:* præmissa. Conf. Doujat *cit loc lib IV. cap. 14. 24.* In paulo aliam abit sententiam Maur. Schenkl *J. E. syntagma Tom I. §. 126.* Pehem *J E. univ. P I §. 1053.* singularum Corporis E J. partium auctoritatem singillatim examinantes.

k) Uti an. 1235. a Friedr. II Imp. per *Constit. Moguntinam* apud Senkenberg *Corp Recess. P. I.* Goldast. Reichssatzung *P. II. cap. 15.* Huc speculi Suevici verba pertinent: Aus den zweyen Büchern (Dekret und Dekretalen) nimmt man alle die Rechte der geistlichen und weltlichen Gerichtebedarf. *Corp. Jur. Germ.* Senkenberg *Tom. II. lib. I cap. 5.* item *Recess Spirens.* 1529. *Ordinatio* demum *Consilii imper: auli. Tit. VIII. §. 24.*

l) Conf Maur. Schenkl *cit. loc §* 130 131. Quid vero de *auctoritate juris novissimi* statuendum sit, vid. Horix *tract. de font. J. Can §. 42. seq.* Van Espen *diss. in lib. 6. decret. §. 3. 4.* item *Jur. Eccles univ. P. I. tit. XXII. cap. V.* Zallwein *Tom. II. Q III. cap. 3. §. 7.*

2) In

2) In concursu Juris Civilis Rom. cum Jure Canonico

a) sæpe in *obscuris* causis unum ex altero supplendum; (§. *III. n. III. 8. not. l.*)
b) in caussis *mixtis* utrumque in foro suo decidit, aut punit; vel saltem *amice* utraque potestas componenda; (§. *II. n. IV. lit. b.*)
c) in *Collisione* autem aperta Civile Canonico verisimilius cedit. *m*)

m) Conf. Endres *diss. politicocanonica de diverso Juris Germ. ad Jus Rom. & Can. habitu §. 14.* Floerke *de prærogativa Jur. can. præ Justinianeo. Halæ 1757.*

3) Bullæ vero Pontificum, Decreta Curiæ, aut aliorum Romæ Tribunalium legem universalem tunc solum constituunt, si

a) *generalia* sint,
b) locorum juribus particularibus *non infesta*,
c) ac rite insuper *promulgata*. *n*)

n) De hac Juris novissimi parte, ejus usu, ac authoritate consulantur supra laudati Van Espen *J. E. U. P. I. tit. XXI. seq.* Zallwein *loc. cit. cap. III. seq.*

§. V.

SPECIES LEGUM ECCLESIASTICARUM.

I. Lex Ecclesiæ generatim est propositio obligationem ab Ecclesiæ Imperantibus factam

ctam enuntians. Agimus vero hic de legibus Ecclesiastico-humanis.

1) Materia legis ex ipso fine sunt

a) actiones cum salute *spirituali* connexæ;
b) adeoque etiam *internæ*. o)

o) Præter argumenta ex scopo Ecclesiæ (*§. I. n. V.*) sponte sua promanantia vid. alia Math. XVI. 19. II. Cor. X. 5. Conf. *Theol. dogmat. de Leg.*

2) Requisita:

a) ut feratur a *legitima* potestate sacra,
b) ad communem Ecclesiæ *utilitatem*,
c) et *authentice* moraliter omnibus *promulgetur*. p)

p) Hac de re plura occurrunt apud Van Espen in Tract. *de promulgat. legis P. I. cap. II. III.* Gibert *Corp. J. C. proleg. P. I. tit. IX.* Petr. de Marca *cit. loc. lib. II. cap. 15.* Conf. vero Vit. Pichler, Schmier, Zech, qui promulgatam Romæ legem ubique obligare, si clausula, *ut statim obliget*, adjecta fuerit, defendunt, sed adde Maur. Schenkl *§. 207. cit. loc.*

3) Effectus:

a) *Obligatio* sub gravi vel levi reatu pro ratione objecti, finis, aut adjunctorum legis; q)
b) *Irritatio actus*, si contra legem prohibentem præsumatur, non tamen in omni casu. r)

c) *Poena*, ubi inter illam, quæ *latæ*, & eam, quæ *ferendæ* primum sententiæ dicitur, distinguendum. s)

q) ad Rom. XIII. 5. Num itaque leges *mere poenales* in Ecclesia dari queant, dubitant plures egregiæ famæ Doctores. Conf. Schrott *Tit. de Const. in Inst. J. C.*

r) Id, quod prohibetur, salva lege esse imposibile, atque adeo valere non posse, ipsa ratio sana dictat; confirmat istud 1) Jus civ. *lib. V Cod de leg.* his verbis: *nullum contractum inter eos videri volumus subsequutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. — Ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est.* 2) Jus can. quod *C. 13. caus. XXV q. 2.* ad imperialem legem provocat, & *C. 64 de reg. Jur. in 6.* ita habet: *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Casus exceptos vid. apud Schrott loc. cit.

s) De discrimine hocce consulatur idem cit. Schrott *Tit. de const. §. 145.*

4) Cessat vero lex

a) ex *toto*, & *respectu omnium*, cessante fine, per abrogationem, revocationem, vel legem contrariam;

b) *ex parte*, per derogationem;

c) *intuitu aliquorum*, per dispensationem. t)

t) Leges, quibus potestas dispensandi coarctatur vid. in Conc. Trident. *Sess. XXV cap. 18. de reform.* Conf. Thomassin. *de vet. & nov. Eccles. discipl. P. II. lib. III. cap. 24. § 20.* Gerson. *de reform. Eccles. in Conc. univ. cap. 17.*

II. Reſcriptum vocatur ſolemnis epiſtola, qua primarius quidam Eccleſiæ Rector, inprimis Rom. Pontifex de jure reſpondet, aut gratiam indulget; unde alia ſunt.

a) Reſcripta *juſtitiæ*
b) alia *gratiæ*
c) alia *mixta*.

1) Requiſita:

a) *abſentia* omnis *doli* in petente,
b) conſvetæ *ſolennitates*, & characteres inſcriptionis, ſtili, ſigilli &c.
c) nil contra *jus tertii* quæſitum, aut utilitatem publicam contineant;
d) & a perſonis *legitimis* petantur.

2) Effectus.

a) intuitu *impetrantis* jus ſaltem *particulare* faciunt.
b) Reſcripta *gratiæ* a die *datæ*; *juſtitiæ*, a die *præſentatæ* valorem ſortiuntur:
c) *poſteriora* communiter *prioribus*,
d) et *ſpecialia generalibus* derogant;
e) quæ vero obiter tantum in iis continentur, jus novum non pariunt.

3) Exſpirant

a) *renuntiatione* licita impetrantis,
b) *revocatione* concedentis,
c) *morte* concedentis, impetrantis, perſonæ, cui exequutio nominatim demandata, aut illius,

illius, contra quem Rescriptum justitiæ impetratum est, *re adhuc integra.* u)

u) Conf. Maur. Schenkl *cit. loc.* §. 138. *seq.* aut qui prolixius hac de re disseruit Engel *Colleg. Jur. Can. de Rescriptis.*

III. Privilegium Jus est singulare permanens, contra Jus commune a Superiore ecclesiastico certæ personæ physicæ vel morali concessum.

DIVIDITUR

a) in *reale.*
b) *personale,*
c) *gratiosum,*
d) *remuneratorium,*
e) et *onerosum* seu *conventionale,*

1) Requisita:

a) ut a potestate *legitima,*
b) salvo *bono communi,* & aliorum jure detur,
b) *nec latius,* quam mens aut verba poscunt, extendatur

2) Effectus:

a) *ex parte accipientis* jus utendi privilegio;
b) *ex parte aliorum* obligatio usum non impediendi:
c) Privilegio tamen loco affixo uti extra eum locum non licet.

3) Ceſſat

a) *re* aut *perſona*, cui inhæret *extincta*;
b) *renuntiatione* licita expreſſa vel tacita;
c) Superiore juſte, & ſpecialiter *revocante*;
d) *acceſſorium* ſublato *principali*. v)

v) Vid. Maur. Schenkl *cit. loc.* §. 147 *ſeq.*

IV. Conſvetudo dicitur Jus diuturnis populi fidelis moribus, accedente quodam poteſtatis eccleſiaſticæ conſenſu, introductum.

1) Requiſita:

a) *numerus actuum plurium*, ex prudentum tamen judicio, & adjunctis determinandus; x)
b) animus ſe ſe *obligandi*;
c) *tempus* ſaltem *decem annorum* inſcio legislatore, conſcio vero etiam *brevius*;
d) *conſenſus* poteſtatis legislativæ ſaltem *legalis*;
e) *conformitas* cum recta ratione, juſtitia, & publica utilitate. y)

x) Actus hi non *præſumi*, ſed *probari* debent; de modo eos probandi leg. Gibert *Corp. J. Can. proleg. P. poſter Tit XI. punct.* 4.

y) Exempla conſvetudinum hac dote deſtitutarum, atque ideo per Canones reprobatarum vid. apud Schrott *loc. cit.* §. 250.

2) Effectus:

a) *vis legalis*; unde

b) legem exiſtentem vel authentice *interpretatur*,
c) vel *abrogat*,
d) vel *derogat* eidem. *z*)

z) Hinc conſequitur conſvetudinem poſſe eſſe 1) *ſecundum legem*, 2) *præter legem*, 3) *contra legem*. Vid. Casp. Barthel in *annot. ad univers. Jus Can. Tit. de conſvetud. n.* 18.

3) Ceſſat

a) poſita *lege poſteriore*,
b) vel conſvetudine *contraria*;
c) ſi tamen conſvetudo ſit *particularis*, aut *immemorialis*, per clauſulam generalem conſvetudines abrogantem non tollitur. *a*)

a) *C. I. de conſtit. in* 6. Reifenſtuel *Jus can. lib. I. Decretal. Tom. IV. §* 8. *n.* 188. *ſeq.*

V. Obſervantia ſtrictius accepta eſt Jus tacito, quorum intereſt, conſenſu per facta introductum. *b*)

Differt a Conſvetudine:

a) quod hæc conſenſu etiam *mere legali* legislatoriæ poteſtatis, illa conſensu *ſaltem tacito* partium coaleſcat;
b) quod conſvetudo *plures*, obſervantia *pauciores*, imo *unicum* quandoque actum requirat;
c) quod illa in *privatis* maxime, hæc in *publicis* plurimum negotiis vigeat. *c*)

b) *C. I. de conſtit. in* 6.

c) Uſum

c) Usum observantiæ testantur in S. Rom. Imperio plures Recessus, in Ecclesia canones antiquissimi, ut can. 6 7. Concilii Nicæni I. Ceterum cum abusus, ait Auctor *Princ. J. publ. eccles. Catholic. cap. 10. §. 20*, non raro sese occcultat sub imagine observantiæ, hancque imitetur, ut superstitio religionem; in praxi difficile est, a laudabili observantia discernere abusus, quibus paulatim infici posse disciplinam Ecclesiæ nimis proh dolor! compertum est.

Caput II.

PRÆCOGNITA JURIS ECCLESIASTICI PARTICULARIS GERMANIÆ.

§ I.

PRINCIPIA, ADMINICULA, HISTORIA, COLLECTIONES JURIS SACRI GERMANIÆ.

I. Complexus Jurium, ac prærogativarum singularium, quibus Ecclesia Germaniæ ceu legibus, præter communes universæ Ecclesiæ proprias, utitur, *d*)

Jus Ecclesiasticum particulare Germaniæ audit.

Ejus Principia sunt

a) Cano-

a) Canones & consvetudines Ecclesiarum Germaniæ:
b) Pontificum Decreta:
c) Constitutiones imperiales ad statum Germanicæ Ecclesiæ spectantes:
d) Pacta inter sedem Romanam, & Germanicam nationem:
e) Conventiones & Pacificationes inter Status R. I. Catholicos, & Acatholicos. *e*)

d) De libertatibus Ecclesiæ Germ. leg. Zallwein *Princip. J. E. Tom IV. q. 3. cap. 3* Jo. Schilter. *de libertatibus Ecclesiæ Germaniæ.*

e) Ex his fontibus Canones eos se hausisse fatetur Dominicus Schramm, quos in *Epitome Can. Eccl Augustæ Vindelic. an. 1774* edita, ac ordine Alphabeti secundum materias distincta exhibet, quique non sine fructu ante oculos versabuntur Adolescentibus Juris Eccl. Germ, studiosis.

II. Hæc vero ut solide perspiciantur, Adjumenta quædam scientiarum necessaria sunt, inter quæ præcipue computamus

a) Historiam Germaniæ sacram æque ac profanam. *f*)
b) Historiam legum, ac Canonum Germaniæ ecclesiasticorum. *g*)
c) Jus publicum imperiale. *h*)

f) In hac plurimum adtendenda sunt 1) antiqua hodiernaque tum ecclesiastica tum politica Germaniæ divisio; 2) fidei Christianæ in Germania ortus, & progressus; 3) præcipuorum Episcopatuum

 tuum

tuum origo, & ordo hierarchicus; 4) Imperii Rom. Germ. insignes epochæ.

g) Ad Legislatores ipsos, ad causas, scopum, mutationes legum hic inprimis respiciendum esse nemo non videt.

h) Quale e. g. scripsit Jo. Jac. Mascovius sub tit. *Principia Juris publ. Imperii Rom: Germanici Vindobonæ 1768*, & e recentioribus plures.

III. Ad historicam Juris Germaniæ ecclesiastici notitiam pertinent præprimis.

1) Concilia Germaniæ quæ

a) jam a seculo IV. tuto computare licet, i)

b) & usque ad seculum XII. sæpius sunt celebrata; k)

c) observato tamen plerumque modo quodam singulari, cum negotia *ecclesiastica* ab Episcopis, & Abbatibus, *politica* a Comitibus *seorsim* quidem disquisita, *unitis* tamen postmodum *consiliis* decernerentur. l)

i) Quibusdam illud *primum* Germaniæ *concilium* esse videtur, quod S. Bonifacius an. 742 Ratisbonæ coegit. Conf. Biner *Thesaur. erudit. P. IV. pag. 271;* alii inter quos Doujat *cit. loc. lib. II. cap. 17.* concilia primum a Ludovici Germanici tempore Germanis concedunt; verum antiquiora ad Germaniam æque, atque ad Galliam ob intimam earum conjunctionem, imo aliqua, uti Trevirensia duo an. 386 ad solam Germaniam pertinuisse dubium non est. Vid. Harzheim *Concil. Germaniæ.*

k) Conf. cit. Biner *loc. cit. P. IV. V.* Harzheim *cit. loc.* Doujat. *cit. loc.*

l) Præfat

l) *Præfat:* Concil. Moguntini an. 813. inter *Concil. Germ. Tom I.* – *Comment. de finibus utriusque potestatis cap. 10. pag. 142.* Imo *Episcopos* atque Abbates seu ut regni *Proceres*, seu ut æquitatis laude, & multa experientia præstantes rerum *arbitros* ad comitia etiam mere *politica* fuisse vocatos ostendit Thomassin. *P. III. lib. III. cap.* 23. *n. 1. cit. loc.*

2) Capitularia Regum Francorum, seu Sanctiones in Comitiis sub Regibus Francis communi Episcoporum, Procerumque consensu editæ. Hæc

a) *Ansegisus* Abbas primum an. 827 collegit;
b) *Benedictus Levita* Moguntinus sub Carolo Calvo adauxit; *m*)
c) absolutissimam vero eorum editionem *Stephanus Baluzius* an. 1677 procuravit;
d) tenueruntque præcipuam quamdam ad seculum usque XII. auctoritatem. *n*)

m) Nimirum ad IV. Ansegisi libros tribus aliis circa an. 845 jussu Autgarii Archiepiscopi adjectis, quibus postea quatuor appendices incerto auctore accesserunt.

n) Tenentque hodiedum, quod 1) non paucas veteris disciplinæ servent reliquias, 2) præclaram fines Reipublicæ & Ecclesiæ regendi normam præbeant 3) integerrimas, quibus utriusque potestatis limites determinantur, regulas ministrent. Zallwein *loc. cit. Tom. III. q. 1. cap. 6. § 5.*

3) Regum & Imperatorum constitutiones, quarum

a) Classis I. a Conrado I. usque ad Carolum IV. præter alias celebrem *Constitutionem* Friderici II. an. 1213 Aegræ *de ecclesiastica libertate*, & aliam Francofurti an. 1220 *de Juribus Principum Ecclesiasticorum* datam, *o*)

b) Classis II. a Carolo IV. usque ad Carolum V. *Bullam auream p*) an. 1356. Norimbergæ per Carolum IV. conditam, variosque Imperii Recessus, *q*)

c) Classis III. abhinc ad nostra usque tempora *Capitulationes Cæsareas r*) Conclusa Imperii comitialia, & Pacificationes complectitur.

o) Inveniuntur apud Gudenum *Cod. diplom*: *Gœttingæ 1743. Tom. I.*

p) *Bulla* hæc ab appenso aureo sigillo *aurea* dicta quoad VII. etiam posteriora capita *authentica*, & *lex* Imperii *fundamentalis* ea, quæ Electionem, & Coronationem Imperatoris, Jura Electorum, Ordinem Curiæ imperialis, & Officia Palatina concernunt, determinat. *Mutari* quidem, ut quævis lex publica, sed siquidem commune Imperii bonum subverfetur, non nisi accedente Statuum *consensu* poterit. Conf. Brunnemanni *dissert*: *de mutatione B. A.*

q) Amplissima *Recessuum* Imperii *Collectio* in lucem edita est *Francofurti ad Mœnum an. 1747.*

r) Cæsar in capitulatione ante coronationis Solemnia ad certum administrandi Imperii modum jurejurando adstringitur. Puncta ejusdem a tempore Caroli V. unde hodiernus capitulandi modus suum duxit initium, usque ad Rudolphum II. *soli Electores* nemine contradicente confecere; at tunc ad jura sua tuenda excitati

Principes

Principes tum in electione Mathiæ, tum in consultationibus Pacis Westphalicæ acriter institere, ut Capitulatio *omnium Imperii Ordinum* consensu conficeretur. Sed re adhuc indecisa suam & hodiedum urgent caussam ad P. W. Art. VIII. §. 2 & 3. provocantes. Conf. Mascov. *Princip. Juris publ. Imperii Rom: Germanici, lib. I. cap. 4.*

IV. Ad Collectiones Juris sacri Germaniæ reducuntur

a) illæ *Reginonis*, *Burchardi*, & *Ivonis*, utpote qui ex principiis Iuris Germaniæ Ecclesiastici plurima hauserunt. (*vid. Cap. I. § IV. n. III. lit. e. not. x*) *s*)

b) *Codices* Canonum recentiorum *Schannati*, *Harzhemii* &c.

c) *Senkenbergii* Corp. Recess. Imp. & *Goldasti*, in pluribus tamen suspecti, Collectio Constit. Imperial. *t*)

d) Corpora Juris publici *Schmausii*, *Waizeneggeri*, *Pauli de Rigger &c.*

s) Huc *Epitome* Schrammii referri potest, cujus *n. I. not. e.* meminimus.

t) Fidem ejus non modo Catholici accusant, verum etiam e Protestantibus Vitriarius. *Proem: ad Instit. I. P. n. 19.* Moser *Comp. I. P. cap. III. § 5.*

§. II.

§ II.

PACTA NATIONIS GERMANICÆ CUM SEDE ROMANA.

I. Occasiones & Caussæ Pactorum.

1) Electiones Pontificum & Episcoporum: hæ

a) Seculo II. a vicinis Episcopis & viduatæ Ecclesiæ Clero ad *desideria*, aut quandoque etiam *suffragia* populi, stante tamen *supremo* penes Episcopos *judicio* peractæ sunt.

b) Seculo IV. & V. major circa illas *Principum*, ac præcipue *Imperatorum* beneplacito honor habebatur.

c) Seculo VI. *Gothorum Reges* Romanorum Pontificum sæpius *Nominationem*, vel saltem *Confirmationem* sibi arrogabant; inde Iustinianus Imperator, ejusque Successores usque ad Constantinum *Pogonatum*, & postea Exarchi *Ravennatenses* Jus *confirmandi* Pontificis ad se pertraxerunt, salva adhuc plerumque in reliquorum Episcoporum electionibus libertate.

d) Seculis VIII. IX. & X. Electio Papæ a Clero & populo *libere*, Consecratio vero communiter non nisi præsentibus Legatis Cæsareis peragi poterat, Episcopis in Gallia, & Germania jam ad populi & Cleri *desideria*, jam ad Episcoporum, & Proce-

 rum

rum *consilia*, jam ad solam etiam *Regiam Nominationem* ordinatis. *u*)

u) exponuntur hæc accuratius in hist. eccles: hic loci consuli possunt Thomassin: *cit. loc P. II lib. II. cap. 6.* Van Espen *P. I. tit. XIII. cap. 6,* Petr. de Marca *cit. loc. lib. VIII. cap. 11.*

2) Investituræ: harum usus

a) ob *Feuda*, & *Regalia* Episcopis Germaniæ concessa ab Imperatoribus innocue primum per *baculum* & *annulum* frequentatus; *v*)

b) Sed Seculo XI. per Henricum IV. infulas passim venumdantem, & indignos obtrudentem Pastores in Ecclesiæ cedens detrimentum, anathematis a Gregorio VII. lati & a successoribus confirmati caussa fuit. *x*)

c) Inde gravissima Sacerdotium inter & Imperium dissidia, nec *Sutrii* an. 1110, nec *Romæ* an. 1111. composita. *y*)

d) Sed *Wormatiæ* primum an. 1122. pacto inter Calixtum II. & Henricum V. firmato ad tempus sublata sunt. *z*)

v) *Investitura* actus est immissionis vasalli in feudi, aut beneficiati in beneficii possessionem adhibitis variis symbolis, & ritibus. Circa jus Principum Prælatos Ecclesiæ investiendi quam discordes olim fuerint sententiæ, colligitur ex Goffridi *Vindocinensis Tract. de investit*: apud Fleury *hist. eccles. lib. 67. § 26.*

x) Decretum Gregorii contra Henricum confirmarunt Victor III. in Synod. *Benevent.* 1087. Urbanus

banus II. in Concil. *Claromont.* an. 1095. Paschalis II. in *Trecensi* an. 1107.
y) Conf. Baronii *Annal. ad an.* 1110. 1111.
z) Documenta huc spectantia inveniuntur in *Chron: Urspergensi pag.* 280. *seq.*

3) Jura Regaliæ, & spolii:

horum prætensio

a) præfati Concordati felices effectus turbaverat, cum Principes *Regaliæ* titulo aperti feudi fructus, ipsamque beneficiorum sæpe provisionem ceu fructuum partem;
b) titulo vero *spolii* mobilia vacantium Ecclesiarum, & decedentium Clericorum bona sibi reservarent;
c) sed his demum malis magnanima Ottonis IV. Friderici II. & Rudolphi I. renunciatio medelam tulit. *a)*

a) Qui Imperatores nimirum Capitulationibus a Pontifice ante coronationis solennia sibi propositis subscripsere, aut novis constitutionibus editis Ecclesiæ libertati, quantum decuit, consuluere. Conf. *§ præced. n III. 3. lit. a.* Raynaldi *Annal. Baronii continuat.* ad an. 1274.

4) Reservationes Pontificiæ, Annatæ, Appellationes ad Curiam Romanam.

a) Episcoporum jus conferendi beneficia a duodecim seculis illæsum per *preces* primum, mox per *mandata*, & *minas* invasere Pontifices, cum sec. XIII, & XIV. præcipue; Clemens IV. Joannes XXII. & Bene-

Benedictus XII. reservationem beneficiorum urgerent per *Regulas Cancellariæ* latius semper extensam. *b*)

b) Accessit & *Annatarum* exactio, cum non servato moderamine *primi* anni fructus de vacantibus beneficiis Joannes XXII. ad *triennium*, Bonifacius IX. vero eorum partem *dimidiam*, de beneficiis etiam *majoribus* in *perpetuum* Sedi suæ appropriarent: *c*)

c) cumque insuper Curia Romana quascunque *Appellationes* non servatis consvetis instantiis admitteret, graves ob hæc omnia motæ sunt a Germanis querelæ, *d*)

d) propositæ quidem in Conciliis *Constantiensi* & *Basileensi*, sed exorto novo schismate non sopitæ. *e*)

e) donec Germania, diu nec Felicis V. nec Eugenii IV. professa partes *Francofordiæ* tandem an. 1446. Concordata cum Eugenio iniit, paulo post ab eo confirmata, *f*)

f) anno vero 1448 dato prius *Aschaffenburgi* Principum consensu, *Viennæ* a Friderici III, & Nicolai V. Legatis in aliquibus tantum immutata, & nova Pontificis confirmatione munita. *f*)

b) Conf. Gerson *Tract. de reform: cap.* 23. Paul. a Rigger *cit. loc.* § 371.

c) Thomassin: *P. III. lib. II. cap* 58. Natal. Alexander *diss. IX ad sec. XV. art. I* § 8.

d) Fleury *inst. I. E. P. III. cap.* 23 & *diss. VI. ad hist. eccles.* Van Espen *I. E. U. P. III. tit. X. cap. I.*

e) in

e) in Concilio *Constantiensi* aliquid actum est, quo Romani Pontifices querelis Germanorum satisfacerent: nempe Martinus V. *Concordata* ad *quinquennium* duratura concessit, quibus decernitur 1) exceptis reservationibus Juris scripti *libera* Episcoporum & Abbatum *electio*; 2) in reliquis beneficiis *alternativa* Pontificis, & Ordinariorum *collatio*, capitulorum dignitatibus Ordinario reservatis; 3) promittitur *annatarum* disquisitio, & *modificatio* Conf. Van der Hardt *acta Concil. Constantiens.* Ita quoque in Concilio *Basileensi* anno 1431. Patres *Sess. XXII. XXIII.* reservationes antiquas, exceptis, quæ Corpore Juris clausæ, & expectativas abolent, reservationes novas prohibent, annatas expungendas decernunt compensandas reditu alio; sed Imperator utcunque transigere cum Pontifice maluit. Henr: Linckius *de Concord. Germ. Nationis.*

f) Vid. hæc concordata apud Goldastum in *Constit. imperial. Tom. I. p. 207.* Add. *Observationes historico-juridicæ in Concordata nationis Germanicæ cum sede Romana* 1771.

II. Concordatum Calixtinum.

1) Ejus tenor.

a) *Electiones* in præsentia Imperatoris aut ejus Legati absque Simonia aut violentia peragendæ.

b) Exorta lite Metropolitani & Provincialium consilio, vel sanioris partis judicio adsensus & auxilium a Cæsare præbendum.

c) *Regalia* per *Sceptrum*, dimissa illa per baculum, & annulum investitura, accipienda.

d) Pro-

d) Promiſſa a Cæſare priſcæ in Electionibus libertatis, & bonorum durante diſſidio ablatorum *reſtitutio* g)

g) Recol. *h.* *§ n. I.* 2 *lit. d. not.* 2. Conf. Biner *Theſaur. erud. P. III cap. 3. pag.* 134 *ſeq.*

2) Ejus valor.
Obtinet robur ac vim *licitæ*, *validaeque* Transactionis ac Legis Sacerdotium & Imperium obligantis, cum

a) dato Wormatiæ Principum adſenſu initum, ac Bambergæ confirmatum,
b) an. 1123 in Concilio Lateranenſi ratihabitum,
c) Eccleſiæ utile,
d) nec Majeſtati aut honoribus Cæſaris inimicum exiſtat. *h)*

h) Rautenſtrauch cit. loc. *§. 139.* Schenkl. cit. loc. *§ 171.* Schilteri de hoc Concordato judicium vid. in ejus *lib. IV. cap. 5. de libert. Germ.* ſed conf. ea, quæ Biner cit. loc. *pag. 135. n 14.* reponit.

III. Concordata Principum Francofordienſia, Aſchaffenburgenſia, ſeu Viennenſia.

1) Eorum tenor.
a) *Reſervatio* beneficiorum *limitata.*
b) *Electiones* in Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Abbatiis Apoſtolicæ ſedi immediate ſubjectis *liberæ*, & a Pontifice *confirmandæ.*

c) Concessa Pontifici *Alternativa mensium.*
d) *Annatarum* solutio æquius *determinata.* i)

i) Vid. *n. præced. I 4 lit e. f not f.* Add. Würdtwein *Subsid diplom Tom. IX, n. 7.*

2) Eorum valor.
Sunt verum pactum *licitum* & *validum*, ligans utramque partem, ac insuper *lex fundamentalis Imperii* ab omnibus Germaniæ statibus, & subditis sancte, & per se quidem perpetuo servandum, ut

a) ex actorum serie,
b) ex verbis Concordatorum,
c) ex confessione ipsorum Pontificum, k)
d) & S. R. I. observantia, aliisque legibus ostenditur. l)

k) Ita sane Julius III. Pontifex in *Constit. an.* 1554. 14 *Septembr edita* § 2. ait: *Nos attendentes* Concordata *prædicta* vim pacti *inter partes habere.* &c: Et Clemens VIII. in *Constit. an.* 1603. 15 *Januar: Cæsareæ Majestatis Tuae, quæ insigni æquitate, & prudentia se defensorem pro tua insigni æquitate, & prudentia se defensorem, ut par est, profitetur eorum, quæ jam pridem inter hanc sedem, & Nationem Germanicam* pacta *sunt, &* conventa *quæ* Concordata *appellantur.*

l) Vid. Mascov. *Princip. J. publ. Imp. lib I. cap. V. n. 5. 8* item Capitulat: Imperat. *Art.* 14. § 3, ubi Imperator promittere solet: Wir sollen und wollen darob und daran seyn, daß die vorgemeldete Concordata Principum, und aufgerichtete Verträge — gehalten gehandhabet und derselben festiglich nachgelebet werde. Immerito ergo ad sortem meri *privilegii* detruduntur, ait Rautenstrauch cit. loc. § 141. Conf. Schenkl § 176.

3) Eo-

3) Eorum interpretatio.

a) *Authentica* interpretatio non nisi *utriusque partis consensu* fieri potest. *m*)

b) Ceterum vero orto dubio Concordata potius in favorem Germaniæ *explicanda* sunt. *n*)

c) *Francofordiensia* pro regula, *Aschaffenburgensia* exceptionis loco habenda. *o*)

d) Unde quidquid in posterioribus non *expresse* abdicarunt Germani, ex prioribus salvum reputetur.

m) Eapropter contradixere Germani declarationi Gregorii XIII, qui edita Bulla an. 1576. Concordata, in quibus conventum est, ut provisus de beneficio a Papa intra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii compareat, ita in favorem curiæ Romanæ est interpretatus, ut sufficere diceret, si provisio Pontificia in Curia Romana facta esset.

n) Ad hujus enim præprimis querelas sedandas inita sunt, huicque *utilia*, ac *salutaria* fore contestatur Nicolaus in Bulla confirmatoria Concordat. § 1. 2.

o) Præterea enim, quod illa prius inita, ac per Eugenium IV. confirmata sint, ipse Nicolaus Pontifex constituendo nova priora, nequaquam abrogavit, sed *in aliis, quæ per Eugenium IV. prædecessorem — permissa concessa, indulta, ac per ipsum Nicolaum confirmata fuerunt, in quantum illa concordiæ præsenti non obviant, ista vice nihil voluit commutatum* Constit. Nicolai V. Conf. Würdtwein *Subsid. diplomat. præfat. Tom. II. IV.*

4) Derogari tamen illis poterit

a) non quidem per pontificiæ poteſtatis plenitudinem, aut ſolius etiam Imperatoris voluntatem; *p*)
b) ſed per evidentem *neceſſitatem*,
c) *conſuetudinem*,
d) aut *legitimam* etiam *præſcriptionem*.

p) *Quæ enim* (Concordata) *ex pacto conſtant, absque partium conſenſu abrogari non conſueviſſe, nec debere* Julius III Pontifex *Conſtit. an.* 1554. *14. Septembr.* § 2.

§ III.

RAX RELIGIOSA, & WESTPHALICA.

I. Pacis utriusque occaſiones.

1) Prætenſa Lutheri reformatio.

a) Lutherus indulgentiarum abuſum primo, mox uſum impugnans, ac in alios errores præcipiti lapſu devolutus a Leone X an. 1520, in Comitiis *Wormatienſibus* an. 1521. proſcriptus, plurimos tamen ſpe bonorum temporalium, carnisque illecebris ineſcatos ad ſuas partes pertraxit, dictos poſtea, eo quod Comitiis *Spirenſibus* an. 1529 celebratis ſeſe oppoſuiſſent, Proteſtantes.

b) His, cum Catholici *Auguſtanam Confeſſionem* an. 1530 a Melanchtone conflatam rejeciſſent, fœdere *Schmalcaldico* eodem anno Religionis ſuæ libertatem firmantibus, Caro-

Carolus V a Turca primum, dein a Gallis laceſſitus plura indulgere cogebatur.

c) Sed cum inchoato *Tridenti* an. 1545 Concilio inique refragarentur, ac 1546, Lutheri ultimo, Comitia *Ratisbonenſia* negligerent, indignatus Cæſar Fridericum Electorem *Saxoniæ*, & Philippum *Haſſiæ* Landgravium proſcripſit, & illatum ab eis bellum ingenti ad *Mülbergam* clade an. 1547. in ipſorum perniciem finivit.

d) Celebrata dein an. 1548. Comitia *Auguſtana*, ubi decretum Interim, donec Concilium Generale decideret, formatum;

e) quo non obſtante an 1552. ingratus Mauritius Saxo, & Albertus Brandenburgicus ſubito in aciem contra Cæſarem deſcendunt, eoque eum adigunt, ut primo *Tranſactione Paſſavienſi*, dein *Pace Religioſa* Auguſtae Vindelicorum conſtructa, præſentiſſimum Imperii periculum præcavere debuerit.

2) Unio Proteſtantium, Liga ſacra Catholicorum, Bellum tricennale.

a) Erupere brevi nova ex utraque parte ob *modum* præcipue *reformandi* & varias Pacis Religioſæ interpretationes gravamina, quæ an. 1610. cauſſa erant, ut Proteſtantes *Halæ Suevorum* Unionem, & Catholici *Herbipoli* Ligam ſacram conſcripto utrinque milite formarent.

b) Negata dein an. 1618 Bohemis Religionis libertate data cruento bello initia, equidem victis an. 1620. Friederico V. & Confœderatis, brevi sopiendo,

c) nisi *Edicto restitutorio* Ferdinandi II. an. 1629. recens exacerbati Protestantes Gustavum Adolphum Sveciæ, & Ludovicum XIII. Galliæ, Reges in Cæsarem incitassent, unde bellum ad 30. fere annos, marte tandem Catholicis iniquiore, protractum est.

d) Serio ergo de pace cogitatum, quæ etiam *Monasterii Westphalorum*, & *Osnabrugi* an. 1648. ad finem perducta communiter Pacis Westphalicæ nomine venit. *q*)

q) Duplex hujus Pacis instrumentum exstat, unum *Cæsareo-Gallicum* Monasterii inter Ferdinandum III. & Ludovicum XIV. Galliae Regem: alterum *Cæsareo-Svecicum* inter eundem Imperatorum & Christinam Sveciæ Reginam. Et hoc quidem præcipue Germaniam & ex eo Articuli V. & VII. institutum nostrum proxime afficiunt.

II. Pax Religiosa.

1) Ejus tenor. *r*)

a) Religionis dissidia *amice* componenda.

b) Permissum Statibus R. I. *liberum* Religionis *exercitium*.

c) Concessum *emigrationis* beneficium.

d) *Jurisdictio ecclesiastica* circa Augustanæ Confessioni addictos *suspensa*, salvis tamen Catholicorum reditibus.

e) *Bo-*

e) *Bona ecclesiastica* a Protestantibus ante Transactionem Passaviensem occupata *non repetenda*, nisi sint statuum immediatorum, aut nisi Status mediati ea tempore hujus Transactionis, aut hactenus possedissent.

f) *Reservatum Ecclesiasticum*, seu Decretum, quo Ecclesiasticus quisque ad Sacra Augustanæ Confessionis transiens dignitate & beneficio excideret, salva tamen existimatione. *s*)

r) De pacis hujus tenore fusius egit Jer. Schilterus *lib. de Pace Religiosa*. Argentorati 1700. Christophor. Lehmann *act. publ. & original. de pace religiosa*. Francof. 1701.

s) Reservatum hoc *valide*, *licite*, *ac provide* Paci insertum esse frustra Protestantium quidam inficiantur. Exegit quippe hoc *Quies publica*; potuit hoc Ferdinandus I. *potestate* a Cæsare instructus; nec defuit postea ipsorum *Protestantium* Pacem *absolute* confirmantium *consensus*. Conf. Barthel *Tom I pag* 332.

2) Ejus valor.

Est vera *Sanctio Pragmatica*, & Lex Imperii fundamentalis, *t*) utpote talis

a) a multis Recessibus Imperii, *u*)
b) ipsa Pace Westphalica, *v*)
c) et Cæsarum Capitulationibus declarata, *x*)
d) Protestationibus quorundam non obstantibus. *y*)

t) Juris consultis Dilinganis *Tract. de composit. P. R. cap. V.* hæc Pax ejusmodi pactum visa est, quod non consentientes non obligat.

u) e. g. *Ratisbon, an.* 1557. 1613. *Augustan.* 1559. 1566. *&c.*
v) *Art. V. §. 1. Instr, P. W.*
x) Vid. §. 33. *Capitulat. recentior.*
y) Protestati nempe sunt, Paulus IV. teste Ernesto de Eusebiis *Sect. IV rat. 8. §. 2.* Otto Truchsessius Card. & Episcopus Augustanus; Prælati Weingartensis, & Ochsenhausan: Cons. Zallwein loc. cit. *Tom. III. Q. 2, cap. 4 §. 6.*

III. Pax Westphalica. z)

1) Ejus tenor.

a) *Extensio*, ac *confirmatio* Pacis Religiosæ.
b) Reservatum Ecclesiasticum ad *Protestantes* extensum.
c) Liberum Religionis exercitium etiam *subditis* concessum.
d) Permissa *Calvinianis* quoque tolerantia.
e) Cessio beneficiorum, & bonorum ecclesiasticorum *anno normali* 1624. possessorum.
f) Suspensio Jurisdictionis episcopalis intuitu statuum, & aliquorum *subditorum* Augustanæ Confessioni addictorum.
g) Negotia Religionis non per votorum pluralitatem, sed *amicabilem compositionem* terminanda.
h) Exacta utriusque Partis *æqualitas*, quatenus Imperii Constitutionibus, & cujusvis Religionis principiis non adversatur.

z) Instrumentum Pacis W. vid. apud Schmausium Staatswissenschaft Theil I. aut in *Corp. diplomat.* D. de Mont. *Tom. VI.*

2) Ejus

2) Ejus valor.

Est verum pactum *valide*, & a Catholicis *licite*, *prudenterque* initum, *a*) veraque *Lex fundamentalis* Imperii, *b*) cum pro illa

a) eaedem, quæ pro Pace Religiosa militent rationes. *c*)

b) non elidendæ etiam per solennem protestationem a *Fabio Chigio* Legato, Pontificis nomine, interpositam; *d*)

c) quam tamen & *justam fuisse*,

d) & suo effectu non carere profitemur. *e*)

a) Schenkl cit. loc. § *186*.

b) *Art. XVII n. 2. 3. instr. Osnabr.* Conf. *Capitulat.* Francisci I. Imp. *annotat. illustr. per* Jo. Jac. Moser *art. I. seq.*

c) *præced. n. II. 2.*

d) Non modo Cardinalis Chigius Legatus Pontificis binas protestationes nomine Innocentii X. contra Pacem W. palam dixit, sed ipse quoque Pontifex Romæ Bullam singularem, quæ incipit: *Zelo domus Dei*, promulgavit, irritumque declaravit, quidquid contra Jura Sedis Romanæ est conclusum.

e) Juste sane conqueri, ac protestari Pontifex poterat, jura sibi divinitus concessa a Protestantibus sperni, alia ex Concordatis acquisita contra datam fidem eripi. Se vero opponendo id saltem consequutus est, ut si ad avitam Religionem Protestantes redirent, salva Pontificis jura essent, nullique titulo expressæ concessionis, taciti consensus, aut præscriptionis obnoxia.

3) Ejus Interpretatio.

a) *Authentice* declarari, aut immutari non nisi *Partis utriusque consensu* potest. *f*)

 b) In-

b) Interpretatio *judicialis* S. R. I. *Dicasteriis* supremis competit:

c) *doctrinalis* vero non ad *Collegialis*, sed ad *Territorialis* Systematis normam instituenda; ita quidem,

d) ut, quidquid Catholicis *expresse non ademtum*, id omne censeatur *concessum*; & quidquid Confessionistis *non expresse concessum*, id omne illis *denegatum* reputetur. *g)*

f) Cautum id, & conceptis verbis declaratum est *Art. VIII §. 2. instr. P. Osnab.*

g) Conf. Baniza *dissert. subsidia. interpret. P. R. & W.* exstat *Thesaur. J. E. Tom. I. n. 11.*

4) Derogatio tamen eidem facta est per Clausulam *Pacis Riswicensis* Art. IV. „*Religione Catholica in locis sic restitutis h)* in statu, quo nunc est, remanente.„

Nam clausula ista

a) a tribus Imperii Collegiis *ratihabita, i)*

b) postea *Pace Badensi* absolute *confirmata, k)*

c) & tanquam *Conventio publica*, & *Lex posterior* est agnoscenda.

h) Pace enim inter Leopoldum Imperatorem, & Ludovicum XIV. Galliæ Regem an. 1697. inita varia trans Rhenum loca, a Gallis prius occupata, Cæsari restituebantur.

i) Vid. instr. ratificatum 1697. in *Corp. diplomat. Tom VII.* Conf. Cortreji *observata ad art. IV. pacificat. Riswicens.* Magdeburgi 1705.

k) An. 1714 7. Septemb. *Corp. diplomat. Tom. VIII. P. I.*

JURIS ECCLESIASTICI PARS I.

JUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM.

CAPUT I.

HIERARCHIA ECCLESIASTICA, EJUSQUE DIVERSI GRADUS.

---

§. I.

JURA ROMANI PONTIFICIS, CEU PRIMATIS ECCLESIAE UNIVERSALIS.

I. Pontifex Romanus prout ſub diverſa ratione conſiderari poteſt, ita varia in eo Jura diſtinguere oportet: nimirum

a) ut Caput Eccleſiæ univerſalis *primatiali*,
b) ut Patriarcha Occidentis *patriarchali*,
c) ut Exarcha Italiæ *exarchali*,
d) ut Metropolita Romanæ Provinciæ *metropolitico*.
e) qua Episcopus Urbis *dioeceſano*,
f) qua Princeps politicus in ſuo Territorio *territoriali* jure reſulget.

II. Ad Primatum Eccleſiæ univerſalis, in quantum ſcilicet Papa honore ceteros Episcopos antecedit, referuntur

a) Præ-

a) Prærogativa *ordinis*, *præcedentiæ*, & *præsidii* ante omnes Ecclesiæ Imperantes.

b) *Vestis*, & *Tiara* pontificia. *l*)

c) *Tituli* præcipui: v. g. *Episcopi Episcoporum*, *Summi Pontificis*, *Sanctitatis*, *m*)

d) ac singularia quædam *reverentiæ*, & *subjectiones* signa.

l) Præter ornamenta episcopalia, & pallium orario, seu *stola* semper, *baculo* vero pastorali nunquam utitur.

m) A tempore S. Gregorii M. titulum „*servus servorum Dei*„ ob humilitatem sibi sumunt, & suis litteris subsignant.

III. In quantum vero primatus auctoritatem etiam ac jurisdictionem involvit, in determinatione jurium illius bene attendi, ac discerni debent,

a) Finis institutionis divinæ, *unitatis* nempe *conservatio*, ceu mensura jurium *essentialium*.

b) *Facta* humana, ceu mensura jurium *accidentalium*.

c) Ipse etiam certus modus jura essentialia exercendi, ab humano quandoque instituto profectus.

IV. Divina igitur & essentialia Primatis jura ea dicuntur, quæ cum natura instituti a Deo Primatus ita intime connexa sunt, ut salva unitate Ecclesiæ separari ab eo nequeant.

Ad hæc reducitur Potestas

a) exi-

a) exigendi, ut reliquæ omnes per orbem Ecclesiæ cum ipso ceu *centro unitatis* perpetua *communione* jungantur, ac proin & *caussæ* omnes ad ecclesiasticam unitatem pertinentes ad ipsum *referantur*; *n*)

b) *Canones* Ecclesiæ *universales* pœnis etiam spiritualibus in refractorios, quas æquitas & caritas dictaverit, latis *exequendi*, & vindicandi; *o*)

c) *Canones dogmaticos* privative, urgente caussa, eatenus constituendi, ut iis ceu Decretis saltem *provisoriis* quamdiu ceterorum Episcoporum universitas non reclamat, adquiescere fideles obligentur; *p*)

d) Condendi quoque *Canones disciplinares* universales, ab ipsis etiam Episcopis, nisi vere noxios suis dioecesibus deprehenderint, reverenter adsumendos, promulgandos, & exequendos. *q*)

e) *Concilia Generalia* jure proprio & ordinario *convocandi*, *r*) iis cum prærogativa suffragii & relationis *præsidendi*, *s*) eaque, saltem si per se aut Legatos speciali mandato instructos præsens non fuisset, suo assensu *confirmandi*; *t*)

f) Jure devolutionis supremo, salvis intermediis, *supplendi* defectus aut neglectum aliorum Ecclesiæ Rectorum; *u*)

g) Injuste oppressos *tuendi*, *appellationes* quasdam etiam *proprie dictas* saltem contra sententiam *via facti* prolatam, oborta necessitate *recipiendo*; *v*)

h) De-

h) Denique ea, quæ per ſemetipſum ob diſtantiam locorum efficere nequit, *Legatorum*, aut *Vicariorum* conſtitutione, vel miſſione diſponendi. *x*)

n) Jus iſtud in Primate tota agnovit antiquitas: ita Eccleſia Corinthi ad S. Clementem I. (*epiſt. Clement. n* 44.) Patres Concilii Arelatenſis I. de geſtis, & decretis ad Silveſtrum; Synodus Sardicenſis ad Julium (*vid. ſupr. Cap. I. § II. n. III. not. b.*) Epheſina ad Cæleſtinum; Afri 67. Epiſcopi ad Innocentium I. (*epiſt.* 30. *§ I. Innocent. apud Couſtant.*) relationes fecerunt. Aptiſſime igitur ab Avito Epiſcopo *Viennenſi epiſt.* 36. ſcriptum eſt: *ſcitis Synodalium legum eſſe, ut in rebus, quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, ſi quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ Eccleſiæ Maximum Sacerdotem, quaſi ad caput noſtrum membra ſequentia recurramus.* Quapropter nihil Juſtinianus Imperator Primatis Juribus adverſum conſtituit *lib VII. Cap. de SS. Trinitate* decernens: „*nec enim patimur, ut quidquam eorum, quæ ad Eccleſiaſticum ſpectant ſtatum, non etiam ad ejusdem referatur beatitudinem, quum ea ſit caput omnium Sanctiſſimorum Dei Sacerdotum, vel eo maxime quod quoties in eis locis hæretici pullularunt, & ſententia, & recto judicio illius venerabilis Sedis coerciti ſunt.* „

o) Tanta primitus hac in re Sedem Apoſtolicam viguiſſe auctoritate, ut prope *imminuta* magis, quam *aucta* videatur, conſtat ex probatiſſimis illis teſtimoniis, quæ P. Oberhauſer in *Specim. cultioris Jurispr. Canon. Cap. II. §. 5. pag* 136 *ſeq.* produxit; longum foret ea deſcribere; generalem Boſſueti criſin de illis audiamus: *invicti*, ait Doctiſſimus hic Epiſcopus Meldenſis *defens. Cler. Gall. Tom. II. pag.* 408. *fuerunt Romani Pontifices, cum Canones ab Eccleſiis, Sede Apoſtolica ſive auctore, ſive probato-*

re-

re susceptos, vindicarunt. His Constantinopolitanos Præsules, alta spirantes, & Principum gratia ferocientes, & a Nestorianis, Accacianisque temporibus usque Ecclesiæ graves tanquam in schismà erupturos animo providerent, quæ gravitate poterant coercebant. Orientali Ecclesiæ, quæ novæ Romæ faveret, Nicænos Canones opponebant. Invictos se rati, quamdiu, ut ipsi profitebantur, secundum Canonum paternorum regulas rem gererent. Conf. Gazzaniga *Theol polem. Tom. II. Sect. V. cap. 4.*

p) Turbatæ per religionis dissidia Ecclesiæ præsto esse oportet medelam, quæ malo propulsando, aut sistendo saltem idonea sit; hanc Concilia ipsa, quod celebratio eorundem plurimis obnoxia sit difficultatibus, mature satis ferre semper vix possunt, superest itaque, nisi Ecclesiam societatem imperfectam dicere velis: ut Primati Jus conveniat ferendi sententiam, cui fideles ob pacem, bonum Ecclesiæ, ac subjectionem suam deferant *saltem,* ut loquitur Gersonius *Tract. de exam. doct. consid. II. ad non dogmatizandum contrarium*, donec aliud fuerit definitum. Præclare hanc in rem dixerat S. Basilius *epist 69. ad Athanasium:* „ *visum est mihi, ut scribatur Episcopo Romano, ut quae hic geruntur, consideret, & sententiam expromat.* Conf. Baron. *Annal eccles. Tom II ad an. 263. n. 30 seq.* Euseb. *Hist eccles. lib. VI cap. 35.* Renat. Mussuet *diss. III. in Iren: art III § 30.*

q) Hanc Pontificum Romanorum potestatem in dubium minime vocari posse, ostendit Petr. de Marca *lib. I de Concord. Sacerd & Imp cap. 8. & 9.* ipsaeque antiquissimæ, ac genuinæ Pontificum Epistolæ decretales abunde commonstrant Agnoverunt illam ipsi quoque Imperatores Valentinianus e. g. qui *Nov III. Cod. Theodos.* asserto prius Synodorum etiam auctoritate Romanæ Sedis Primatu subdit: „ *verum*

rum ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hoc perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate tentare, sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas. E quibus sane Imperatoris verbis *obligatio* Episcoporum infertur, leges a Pontifice constitutas *recipiendi*, ac *promulgandi*. *Iura* huic obligationi connexa vid. apud Schenkl. *cit loc.* §. 207 Legem, qua jura hæc, & officia Episcoporum in provinciis Porussorum Regi subjectis limitantur, vide in Codice recentissimo. Allgemeines Landrecht II. Theil. XI. Titel. III. Abschnitt. §. 118. Huc quoque commode reducuntur ea, quæ de Jure Primatis in Canonibus disciplinaribus universalibus *pro universa Ecclesia dispensandi* notant Authores. Conf. Van Espen. *dissert. de dispensat. cap. II.*

*) Refert Socrates veterem Canonem, quo vetabatur, ne in consulto Papa Concilia generalia celebrentur. Quid æquius? quis enim cum auctoritate convocet omnes orbis Episcopos, nisi Primas, cujus unius potestati omnes, quantum ad unitatem servandam, subsunt? porro institutus est Primatus, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio *Cap. I.* §. *2. n. II not. t. in proleg.*) at quod est huic malo ab Ecclesia removendo medium aptius, quam Concilii generalis celebratio? demum non licuit salvis Canonibus citra sententiam Metropolitæ provincialia Concilia haberi, quia Metropolita totius provinciæ caput est, ergo nec licere potuit generalia Concilia sine Pontificis consensu celebrari, quem universæ Ecclesiæ caput profitemur. Jure itaque in concilio *Chalcedonensi* Dioscoro crimini datum est, *quod Synodum generalem* (Ephesinum

ſinum (ſcilicet latrocinium) *auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicae, quod nunquam factum eſt, nec facere licet* Quamvis enim in veteri Imperio orientali Concilia coegerint Imperatores, conſenſum tamen Papæ eis vel *antecedenter*, vel *concomitanter*, vel *ſubſequenter* acceſſiſſe ex teſtimoniis apud P. Oberhauſer *cit. loc. Cap II.* §. *I.* adeo certum eſt, ut eorum author jure dici poſſit, *quia dubium non eſt, ratihabitionem retrotrahi, ut mandato æquiparetur.* *C 10. de Reg. Jur. in 6.* Conf. Rigger *cit. loc.* §. *331* Caſus, in quibus etiam *ſine convocatione* Pontificia Synodi legitime celebrari dicuntur vid. apud Thomaſſin. *diſſert. III ad Concil. Nicæn.* Doujat loc. cit. *lib. II. cap. I.* §. *6.* De conſenſu Principum utiliter requirendo leg. idem cit. loc. §. 7. Conf. etiam *Bulla indict. Concil. Trident.* Pauli III. Relate ad Provincias Poruſſicas Codex cit. *loc. cit.* §. *141. 142.*

t) Præſtans juris iſtius exemplum dedit Petrus in Concilio Hieroſolimitano Act. XV. ubi *cum magna conquiſitio fieret primus ſurgens* ſententiam dixit. Id ſequutos Succeſſores ejus, quotiescunque Conciliis adeſſe *vellent & poſſent*, Conciliorum acta exhibent. vid. Oberhauſer *cit. loc.* §. *II.* Ceterum nil derogatur juri huic quod & Imperatores ſæpe ipſi, non raro per legatos ſuos Conciliis interfuerint, primumque aliquando locum inter Patres tenuerint: nec enim in prærogativa ſedis, verum in poteſtate primaria judicium ferendi ipſum præſidendi jus conſiſtere, quisque facile dabit; hanc vero Imperatores ſibi arrogare noluiſſe, ingenue profeſſi ſunt Conſtantinus, Marcianus, omnium luculentiſſime Theodoſius, & Valentinianus in *epiſt. ad Synodum Epheſinam* miſſa declarantes: *ſe Candidianum ad Synodum Epheſinam ea tamen lege, & conditione miſiſſe, ut eccleſiaſticis negotiis, & conſultationibus ſe non immisceat, verum ut*

 mona-

monachos, & seculares, qui hujus spectaculi causa vel eo nunc confluxerunt, vel in posterum confluent, ab eadem illa civitate modis omnibus submoveat, quandoquidem non licet illos, qui omnino necessarii non sunt ad sacrorum dogmatum examen, tumultus excitare, & iis, quæ cum tranquillitate a vestra sanctitate constitui, definirique debent, obstaculum aliquod afferre, tum rursum, ut diligenter prospiciat, ne quæ dissensio ex mutuo repugnandi studio contra increbescat, & sæva tempestatis instar debachata, Synodi vestræ consultationem, exactioneque veritatis indagationem forte obturbet; sed ut iis, quæ dicuntur, rite perpensis singuli inoffense, quod visum fuerit in medium proponere, vel ab aliis propositum refutare queant, ut ea tandem ratione, ubi per singulas propositiones, exceptionesque inquisitio citra ullam omnino turbam, contentionemque habita fuerit, quod omnibus placitum, probatumque fuerit, communi vestræ sanctitatis sententia constituatur, decernaturque. Conf. Rigger *cit loc.* § 322 *Schol* 327 *Schol.* Thomassin *dissert X in Concil. Nicæn.*

t) Ut enim Concilium totam repræsentet Ecclesiam, capiti cohæreat, necesse est; unde absque hujus consensu robur plenum Concilia non obtinerent, nisi fors Papa, etsi reverenter requisitus, Concilium cetera legitimum præfracte contemneret, vel studiose unitatem scinderet, seu hæresi faveret Thomassin. *dissert. 6. in Synod Constantinopol.* Conf Bosuet *cit. loc. P. III. lib. VII. cap. 3. seq.*

u) Historia ecclesiastica edocemur, pro ea, quæ cuivis Episcopo non tantum pro suæ particularis, sed & totius Ecclesiæ bono cura incumbit, alios aliorum negligentiam supplevisse, ut istud de Athanasio Socrates *hist. eccles. lib. III. cap.* 24. de Eusebio Samosateno Theodoretus. *lib. IV. cap.* 12. *lib. V. cap.* 4 testantur: quis igitur hoc supplendi jus Episcoporum Primo denegabit?

gabit? Eo vero cum uterentur Pontifices factum est, ut negotia plurima olim sive ad Synodos provinciales, sive ad Episcopale forum pertinentia ad Pontifices migrarent, iisque in Ecclesiæ salutem postea relinquerentur. En! fontem reservationum præcipuum, cujus meminisse non videntur, justo sæpe vehementiores reservationum adversarii.

w) Ita Julius I. S. Athanasii, Innocentius I. S. Chrysostomi, Nicolaus I. S. Ignatii se se defensores exhibuerunt appellatione virorum istorum injuste oppressorum ad exercendum Jus hoc Ecclesiæ Patri adeo honorificum provocati. At vel inde intelligitur, jura Pontificis justo arctioribus limitibus circumscribere eos, qui antiquioribus documentis abusum solummodo appellationum improbantibus seducti non nisi *im. propriis* appellationibus ad Romanam Sedem locum concedendum affirmant Conf. Schenkl *cit. loc.* § 210. Concil. *Trident. Seß. XXIV. cap.* 20. *de reform.*

x) *Valde necessarium esse perspeximus,* ait S. Gregor: *lib I ind. 9 epist.* 1., *ut sicut decessorum nostrorum fuit judicium, ita uni eidemque personæ omnia committamus, & ubi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum, cui præcipimus, repræsentetur auctoritas.* Recte quidem: nec enim unius Pontificis vires sufficiunt, ad canonum violatorum observantiam ubique locorum efficaciter urgendam; ad ea, quæ eidem circa Conciliorum celebrationem, circa supplendum aliorum Episcoporum defectum, divina ordinatione delata sunt officia, quantum Ecclesiæ salus exposcit, implenda, nisi ministerio Legatorum suorum adjuvetur. Inde vero est, quod & ipsi Apostoli, si rem spectes, Legatis jam usi sint, *utpote qui,* ait Innocentius I. *epist 13 ad Ruffum Thessalonic. Episcopum, Principes Evangelii constituti, certarum rerum causas, necessitu-*

 dinesque,

dinesque suis discipulis curandas, obeundasque mandarunt Non negamus ceterum, *formam* legationum recentiorum potiore sui parte ex *humano instituto* promanare. Conf. Van Espen *J. E. univ. lib. I. Tit. 21.*

V. Accidentalia, seu adventitia Primatus jura ea nominantur, quibus carere Primas salva Ecclesiæ unitate posset, quæ proin ad ipsum aliis ex causis, & factis humanis devenerunt. y)

Huc refertur inprimis z) Potestas

a) *Confirmandi, transferendi, deponendi* Episcopos, eorum *cessiones, abdicationes* admittendi, *Coadjutores* concedendi.

b) Novos Episcopatus *erigendi*, erectos *dividendi* vel *uniendi.* a)

c) *Peccata* quædam graviora, *relaxationes* Canonum ecclesiasticorum, & *declarationes votorum* quorumdam sibi *reservandi.* b)

d) *Ordines religiosos* approbandi, aut reprobandi. c)

e) *Servos Dei Sanctorum, vel Beatorum* catalogo adscribendi. d)

y) Quemadmodum illa jura, quæ ab omni retro ætate penes Primatem fuisse leguntur, inter *essentialia* passim referri solent: ita hæc quæ antiquitus aut penitus ignota erant, aut vel per Synodos provinciales, vel per Metropolitas, eorumve Suffraganeos administrabantur, nunc vero Pontifici Romano tribuuntur, *accidentalibus* duntaxat a multis adnumerantur. Sed enim non adeo certum videtur *criterium* istud dignoscendorum jurium, quin ullo in casu falleret.

Quid

Quid enim, si juris cujuspiam reapse exercendi occasio defuisset? istud ignorari quidem, nihilominus existere potuisset. Quid si juris sui administrationem Primates tacito saltem consensu aut Synodis, aut Metropolitis demandassent, quemadmodum nunc jam expressis verbis demandare Legatis suis solent? Synodis aut Metropolitis proprium facile videri potuisset, quod Primati simul commune erat, aut plane ita proprium, ut non nisi exercitium ejus in alios transferri, at, poscente Ecclesiæ bono, revocari denuo potuerit. Quapropter relicto caute hocce criterio, quo usi non pauci juribus Primatis essentialibus derogarunt, aliud præferendum modeste asserimus; quo nimirum id solummodo Primati *accidentale* dicitur, *cujus non tantum exercitium, verum & res ipsa* salva unitate *abesse ab ipso potest.* Plura ad hactenus dicta confirmanda occurrent infra *§. III n. II. lit. a. d. not. l.*

z) Non est enim animus omnia accidentalia Primatis jura hic loci recensere; sparsim hinc inde plura obvenient. Verum & de mox recensendis illud notari cupio, pleraque eorum non nisi *inadæquate*, seu ea solum ex parte accidentalibus adnumerari posse, quod Primas ista per *seipsum* modo præstet, quæ prius *Metropolitæ* aut Synodi provinciales plerumque præstiterunt; quantum enim & horum dispositiones tacito saltem consensu Pontificis indigebant, qui solus reliquis Episcopis jure Divino Superior est, ita ut nulla in illos ipso invito exerceri jurisdictio a quocunque posset: tantum hæc quoque negotia expediendi jus essentiale Primatui videtur.

a) Quæ olim circa hæc negotia in Ecclesia viguerit disciplina, abunde explicaverunt Petrus de Marca, Thomassinus, Van Espen locis citatis, quibus add: Dupin. *de antiquit: Eccles.* Horum opera lecturi cognoscent 1) admi-

nistrationem jurium istorum ab initio plerumque ad Synodos provinciales, his vero rarius celebratis, ad Metropolitas etiam ipsos pertinuisse. 2) non satis manifestum esse, num solum tantum exercitium, & usus juris, an vero & jus ipsum ordinarie, & proprie ad eosdem pertinuerit. 3) Demum a seculo IX. quædam, aliqua serius ita ad Apostolicam Sedem devoluta esse, ut omnis jam Metropolitarum dispositio circa ea evanuerit paucis eandem reclamantibus.

b) Omnes *absolutiones*, *dispensationes*, *votorum declarationes* in primitiva Ecclesia ab Episcoporum potestate manasse, nullosque reservatos Pontifici casus notos fuisse testantur Fleury *dissert. V. in hist. eccles.* Thomassin. loc. cit. *P. I. lib II cap* 13 14. Pereira Priester des Oratorium zu Lissabon. Abhandlung von der Macht der Bischöfe. Aus dem Portugiesischen übersetzt, III. Grundsatz. Sed enim! cum aut ipsi Episcopi in casibus magis implicatis sæpius a Sede Romana consilia petiissent, aut in hoc disciplinæ Ecclesiasticæ officio non circumspecte satis versarentur, *ut fideles dispensatores invenirentur;* Pontifices vero Romani disciplinæ rigorem indies magis magisque pessumdari cum dolore agnoscerent, supremo devolutionis Jure (*præced. n. IV. lit. f. not. u.*) huic malo medelam se se ferre, atque, ut difficultate remissionis obtinendæ antiquus servaretur rigor, casus plures absolutionum, dispensationum, declarationum sibi servare debere prudentissime arbitrati sunt. Has reservationes dein, ut Ecclesiæ salubres, Concilii *Tridentini* Patres sua etiam auctoritate roborarunt, *Sess. XIV. de poenit. sacram. cap.* 7.

c) PP. Cænobitarum SS. Basilium, & Benedictum regularum suarum approbationem Pontificiam petiisse non legimus. SS. Franciscus

cus & Dominicus primi fuisse perhibentur, qui Ordinis sui *confirmationem* Romæ quæsiverunt; quia vero circa idem tempus novi Religiosorum ordines adeo multiplicati sunt, *ut gravis inde in Ecclesiam Dei confusio inducenda timeretur Cap. fin. de relig. domib.*) in Concilio Lateranensi IV. vetuit Innocentius III. ne quis de cetero novum ordinem inveniat. Renovatum est Decretum istud in Concilio Lugdunensi II. omnesque prohibiti Ordines, quos Apostolica Sedes non approbasset *Cap. unic. de relig. domib. in 6.* Ex hoc tempore Jus *approbandi*, aut *reprobandi* instituta religiosorum evasit jus Primatus *accidentale*.

d) Antiquum publicos Servis Dei honores decernendi ritum descripsit Mabillonius *in præfat. ad sec. V. Benedict.* Alexander III. hanc caussam tanquam unam ex *majoribus* ad Sedem Apostolicam pertinere edixit. *cap. 1. de reliq: & venerat. Sanctor.* probavit Decretum istud Innocentius III. *Cap. II. ibid.* cum vero non omnes Episcopi eidem æque deferrent: Urbanus tandem VIII. edita an. 1634. Constitutione omnia ad cultum publicum Beatorum pertinentia, & ipsam etiam *canonizationem* Servorum Dei Apostolicæ Sedi reservavit.

VI. Et hæc quidem secundaria Pontificis Jura

a) diuturna jam *possessione*, *præscriptione*, & Ecclesiarum *consensu* firmata *e*)

b) partim etiam *pactis*, & *Concordatis* stabilita. *f*)

c) non nisi ex certa majore *utilitate*, aut *necessitate* Ecclesiæ avelli ab hac Sede queunt;

 d) quam

d) quam nisi restituris *Synodis particularibus*, vix sperare, aut divinare licebit;

e) quod donec fiat, recte aliqua interim *jure Supremo devolutionis* ad Pontificem disponenda pertinebunt. g)

e) Vel ipsi jurium istorum adversarii concedunt, nullum horum seculo XIV. serius ad Romanos Pontificis transiisse add. *n V. præced. not b. c.*

f) Jus e. g Confirmandi Episcopos, & Abbates exemtos per Concord. Germaniæ vid. *Cap. II. præcognit. §. II. n. III lit, b*

g) Excipe necessitatis casum, quo quidem ut cessent, mitissimus Ecclesiæ Spiritus omnino postulat. Conf. Zallwein *cit.* loc. *Tom. I quæst. IV. cap. IV. §. 4.* De *spuriis & veris* titulis quibus ad Romanum Pontificem devenerunt vid. Schenkl *cit. loc. §. 212 Schol.*

VII. Præter ista Iura Pontifex adhuc specialiter intuitu Germaniæ

a) Jus *coronandi* Imperatorum, & *obedientiæ Legatos* ab eo exigendi prætendit. h)

b) Vi Concordatorum *beneficia* quædam confert, & *Annatas* accipit. i)

h) Ultimus Bononiæ a Papa Clemente VII. Imperator coronatus est Carolus V. deinde Ferdinandi I. exemplo omissa est hæc solemnitas. Equidem Electores aliquandiu commendare illam in capitulatione solebant; Sed id quoque a Leopoldi I temporibus cessat. Conf. Mascov: *cit. loc Lib III cap 3.* Ordo coronationis ipse describitur in Christophori Marcelli *Cerimoniali Ecclesiæ Romanæ* De obedientiæ promissione, qualem Rom. Curia a Regibus exigit, vid. Joseph Valentini li-

ber de *osculatione pedum Romani Pontificis*, Romæ 1588. edit. *cap.* 12. Ex more recentiore Legati, quos electi Imperatores Romam mittunt, non *obedientiam*, qualis olim exigebatur, spondent, sed *protectionem* Ecclesiæ, & *reverentiam* filialem. Conf. D Buder *lib. de legationibus obedientiæ Romam missis.*

i) Vid. *Cap II. præcognit. §. II. n. III.*

§ II.

CARDINALES.

I. Collegium Cardinalium

a) nomine satis antiquo, quo olim Clerici omnes certæ Ecclesiæ affixi, & quasi *incardinati* compellabantur, *k*) nunc *privative* gloriatur: *l*)

b) originem autem suam a *Diaconis regionariis*, ac illo Presbyterio repetit, cujus consilio Pontifices in causis majoribus utebantur: *m*)

c) numerum membrorum pro temporum varietate variabat: *n*)

d) hodie 6 Episcopos, 50 Presbyteros, & 14 Diaconos complectitur, non a Gradu Ordinis sacri, sed ab Ecclesiarum, quas tenent, titulis ita nuncupatos; *o*)

e) qui a solo Pontifice creantur; *p*)

f) potestas tamen aliquem ad hanc dignitatem nominandi summis Principibus usu, & observantia firmata est; unde quidam *Cardinales Coronæ* audiunt.

k) Opponebantur igitur tunc Cardinalibus illi, qui tantum *jure fiduciario* & nomine *administratorio* quibusdam Ecclesiis ad tempus præficiebantur. vid. *Dist.* 71. *Can.* 5. *Caus. VII. q. I. Can.* 41. *Caus. XXI. q I Can.* 5 6.

l) Honorificam Cardinalis compellationem, quam usque ad Pii V. tempora retinebant Canonici Ecclesiæ *Compostellanæ, Mediolanensis*, & *Neapolitanæ* omnibus, quacunque dignitate, conspicuis interdixit Idem Summus Pontifex Conf. Cardinalis de Petra ad *Const. Eugenii IV. Tom.* 4. *n.* 6. 7.

m) Per *regionarios* Diaconos intelliguntur, qui *diaconiis*, seu domibus hospitalibus, & sacellis per quatuordecim regiones urbis Romanæ positis præerant. De origine Cardinalium Conf. Muratorii *dissert. de Origine Cardinalatus.* Kleiner *dissert. bina de orig. & prærogat. S. R. E. Card.* in *Thesaur. J. E. Tom. II.*

n) Nempe successu temporis Cardinalatus jam non ab ecclesiæ adscriptione, sed a speciali adsistentia Pontifici præstanda repeti cœpit, inde factum, ut exclusis aliis illi soli Cardinales appellarentur, quibus a Nicolai II. tempore *eligendi* Pontificis *potestas* concessa est. Cum vero hic Pontifex solis Cardinalibus Episcopis agri Romani, quales erant *Ostiensis, Portuensis, Albanus, Sabinus, Tusculanus, Prænestinus*, potestatem hanc dederit, ut constat ex Decreto Nicolai in Concilio Romano edito; & Alexander III. eandem ad præcipuæ dignitatis Sacerdotes: ignotus demum quispiam Pontifex etiam ad Diaconos regionarios extenderit, consequens erat; ut Cardinalium numerus variaret.

o) Numerum hunc determinavit Sixtus V. Constitutione, quæ incipit: *Postquam verus*, ad exemplum nimirum 70 Seniorum Synagogæ, &

totidem

totidem discipulorum Christi; verum raro ex integro completus est.

p) Nitebantur contra collecti in Concilio *Basileensi* Patres *Sess XXIII.*, caventes simul: ne imposterum ultra 24 Cardinales essent, nec nisi in *Theologia* aut *Sacris Canonibus* Doctores: verum non patiebantur Pontifices libertatem suam in creandis Cardinalibus hoc decreto restringi.

II. Jura & Officia Cardinalium:

1) Vivente Pontifice

a) sanctius Papæ Consilium constituunt, e quibus *Consistorium* nunc *publicum*, nunc *privatum* seu *secretum* format, ac vota eorum consultiva in negotiis præcipuis exquirit. q)

b) *Congregationibus* variis, aut *Tribunalibus* Romanæ Curiæ præsunt. r)

c) *Protectores* etiam Principum ac Nationum agunt, ne quidquam contra particularia jura a Curialistis præsumatur; & in Germania nostra ab Imperatore designantur. s)

q) Negotia, quæ in Cardinalium Consistorio tractantur, *causæ consistoriales* dicuntur. Quæ ex his ad *publicum*, quæ vero ad *secretum* consistorium pertineant vid. apud Schenkl. *cit. loc.* §. 220. *Schol.* 1.

r) Conf. *præcognit. Caput I.* §. *IV. n. III* 3. *not. b.*) add. Zallwein *Tom. II. q.* 3. *cap.* 2. *seq.* Van Espen *J. E. P. I. Tit.* 22.

s) *Protectoris Germaniæ* munus non nisi viro *ejusdem nationis* demandari debet vi Capitulat. Cæ-

sareæ

ſareæ art. XXIII. Conf. Cohelius *lib. de dignitate, officio & Virtutibus Cardinalium.*

2) Sede vacante

a) *politicum* in ditionibus Romanis *regimen* tenent; *t*)

b) ſacram tamen Primatus poteſtatem, utpote *perſonaliſſimam*, non niſi urgente neceſſitate exercent; *u*)

c) ac jure *eligendi* e ſuo gremio Pontificem a ſeculo XII. poſt Alexandri III. conſtitutionem quiete uſque ad noſtra tempora fruuntur. *v*)

t) ſingulis diebus *tres* ex collegio, *Epiſcopus, Presbyter, Diaconus* ſunt in politicis Cardinales *locum tenentes.*

u) Conf. *cap. 3. de Electione in 6. Conſtit.* Gregorii X *in Concil. Lugdun.* item *Clementin: lib. I. tit. III. cap. 2. conſtit. Clement. V.* Quapropter etiam poſt mortem Pontificis illico frangitur *annulus Piscatoris.*

v) Modum eligendi vid: *cap. 3. de elect. in 6.* Conf. *v. præced. I. not. n.*

III. Privilegia & Decora eorum.

a) Jurisdictionem *quaſi epiſcopalem* in ſuas Eccleſias habent, etſi Presbyteri ſolum, aut Diaconi ſint. *x*)

b) Ex conſvetudine in Conciliis generalibus *votum deciſivum* ferunt. *y*)

c) Judex eorum ſolus eſt Pontifex, condemnatio difficillima, fides maxima. *z*)

d) San-

d) Sanctionibus pœnalibus, nisi expresse nominentur, comprehendi haud creduntur. *a*)

e) *Proedria* ante Episcopos & Patriarchas diu impugnata quidem sed a seculo XIII. firmata excellunt. *b*)

f) Hanc eo extendunt, ut omnes politicos quoque Principes dignitate regia non fulgentes præcedere affectent, cui tamen Imperii Electores nondum adsenserunt. *c*)

g) Color in veste & galero purpureus, usus Pontificalium, titulus *Eminentissimi* illis conceditur. *d*)

h) Decus autem illorum præcipuum erit, si iis ornentur dotibus, & virtutibus, quas Concilium *Basileense* Sess. XXIII. & *Tridentinum Sess. XXIV. & XXV. de reform.* in ipsis desiderant. *e*)

α) *Cap. 24 de elect. Cap. 11. de Majorit. & Obedient.* Constit. Sixti V. *Religiosa.*

γ) Qui enim a Christo instituti non sunt, sed humana ordinatione ad regendam Ecclesiam Dei vocantur, his quoque haud aliud, quam consvetudine acquisitum jus ferendi *voti decisivi* in illis conventibus convenire poterit, qui ad pertractanda negotia Ecclesiæ instituuntur. Conf. Cardinal. Jacobatius *de Concil. lib. I. pag.* 35. apud Labbeum in *Apparatu Tom. II.* Jus illud a tempore Concilii *Londinensis* an 1075. & ad *Abbates* monasteriorum extendi cæpit, quos ab initio ad Concilia *provincialia* quidem duntaxat admissos fuisse ex Harduini *Tom. VI. P. I. col. 1587.* colligitur; at succedente tempore nec a Conciliis *generalibus* exclusi sunt, ut docet schedula

ſchedula a Cardinale Cameracenſi ſcripta, quæ in actis Concilii *Conſtantienſis* ab Harduino *VIII. col.* 220. exhibetur hujus tenoris: *ſciendum eſt, quod quando in Conciliis generalibus ſoli Epiſcopi habebant vocem definitivam, hoc fuiſſe, quia habebant adminiſtrationem populi.* — — *poſtea adhibiti fuere Abbates eadem de cauſa, & quia habebant adminiſtrationem ſubjectorum.* Decretis Conciliorum *Florentini*, & *Tridentini*, etiam *Generales*, ac *Superiores* ordinum regularium ſubſcripſiſſe aliunde conſtat.

z) Si nempe, quod plures jam negant, genuinus eſt Canon 2 *Caus. II. quæſt IV.* condemnari non poteſt Cardinalis *Epiſcopus* niſi ex 72 *Presbyter*, niſi ex 44: *Diaconus* niſi ex 27 teſtium idoneorum concordi aſſertione. Fidem Cardinali plenam habendam eſſe, dum a Pontifice ſibi commiſſum aliquid aſſerit, etſi litteras ſui mandati non oſtenderit, ſinceritas, quam in tantis viris facile, ac prudenter præſumimus, exposcit, quamvis Canon. 3. *Diſt.* 97. ad quem plerumque provocant, directe id non demonſtret.

a) Exemtione hac gaudent *propter exequutionem pontificalis officii, quæ frequenter incumbit*, Episcopi. *Cap. 4 de ſent. excommunicat. in 6.* idem ergo ut de Cardinalibus valeat, par ratio, & dignitas eorum poſtulat.

b) In Concilio *Romano* an. 993. ſub Joanne XV. Episcopos Cardinales poſt alios Episcopos ordinatione priores & reliquos Cardinales poſt omnes Episcopos ſediſſe, nec ante hos ad ſubſcribendum admiſſos fuiſſe, paſſim affirmant ſcriptores; ſed *creſcente Pontificum auctoritate*, ait Zallwein Tom. IV. quæſt II. cap 2. §. 1. *Cardinalium quoque prærogativæ creverunt*, vel ideo maxime: *quod Episcopi ſpectatiores non raro in Cardinalium gremium aſſumpti facile adduci potuerunt,*

fuerunt, ut incremento dignitatis, & auctoritatis Cardinalitiæ suffragarentur. Quapropter jam in Concilio *Romano* sub Nicolao II. an. 1059. *subscriptionis*: in *Lugdunensi* I. sub Innocentio IV. an. 1245. etiam *sessionis* supra Episcopos; & in *Lugdunensi* II. sub Gregorio X. an. 1274. *utriusque honorem* etiam supra Metropolitas obtinuisse eos legimus apud Harduinum *Tom. VI. Part. I. col 1066. Tom. VII. col. 378.* Raynaldum *in annal. Baronii ad an 1274. n 3.* Res hæc non modicas in Anglia, & Polonia lites excitavit, quas describit Thomassinus *cit loc. P. I. lib. III. cap. 113. 114. Imo in ipso Concilio Tridentino*, inquit Pallavicini *hist. Concil Trident lib. XXI. cap. 4. n. 7) Episcopi Hispaniæ Cardinalium præcellentem hunc gradum ægre ferebant.*

c) Con. Zachariæ Zwanzig *Theatr. præcedent. P. I cap. XXV.* Stieues Europ: Hofcerem. 2. Theil. *pag. 146*

d) Hæc decora concessionibus Innocentii IV. Pauli II. Gregorii XIV. Urbani VIII. Cardinales debent, quibus ita propria sunt, ut nec titulo *Eminentissimi* quispiam alius præter Ecclesiasticos Germaniæ Electores & hospitalis Hierosolimitani Magistrum donari audeat.

e) Conf. *constit.* Sixti V. *Postquam verus.* §. 12. 18. Julii III *const.* 22. De aliis pluribus Cardinalium privilegiis vid. Barbosa *lib. I. J. E. cap. IV.*

§. III.

§ III.

LEGATI ET VICARII PONTIFICIS.

I. Legationum Apostolicarum origo

a) a *jure divino* Primatus, quo Pontifex unitati totius Ecclesiæ invigilare debet, derivatur, *§. I. n. IV. not. x)*

b) adeoque & ipsum jus mittendi legatos inter *essentialia* Primatis jura merito jam supra retulimus. *§. I. n. IV. lit h)*

c) modus tamen exercendi hujus juris *varias* subiit per hominum facta *vicissitudines*; unde

II Variæ legatorum species.

1) A seculo IV. duo legatorum reperiuntur genera, *temporaneorum* nempe unum, *perpetuorum* alterum.

Illi erant

a) quos Papa, ut suo nomine præsiderent, ad *Concilia* misit: *f)*

b) aut negotiorum particularium causâ ad Aulas, vel Ecclesias ablegabat, finito negotio *reversuros*: *g)*

c) demum qui in aulis Principum morabantur, rem Romanæ, & universalis Ecclesiæ perpetim ibi defensuri, quique communi cum prioribus nomine *Legatorum*, singulari vero ac proprio *Apocrisiariorum*, & *Responsalium* vocabantur. *h)*

Hi

Hi vero, *sedis Apostolicæ Vicarii* dicti,

a) quibus Pontifices jurium suorum Patriarchalium, aut, si vis, quorundam etiam Primatialium (§. I. n. V. not. y) *exercitium* demandarunt. *i*)

b) Dignitas hæc insignibus quibusdam Metropolitis, ac præcipuis Episcopis commissa, *k*)

c) ipsorum tamen personis primum alligata,

d) sensim vero ipsis Ecclesiis adnexa, quasi hæreditaria, ac vel inde Romanis Pontificibus molesta evasit. *l*)

f) Data per Constantinum M. Ecclesiæ pace frequentius in Oriente inprimis Concilia celebrabantur; cum his ob locorum distantiam Pontifex ipse interesse rarius posset, viris eruditione, fidei ac morum integritate prælucentibus usus est, Osio e. g. *Cordubensi* in Concilio Nicæno, ac Sardicensi: Cyrillo *Alexandrino* in Ephesino: Paschasio, Lucentio, & Juliano in Chalcedonensi &c. en occasionem! qua primi hujus generis legati orti sunt.

g) Horum exempla varia recenset Thomassinus *loc. cit. P. I lib. II. cap.* 117. præcipua sunt Legatorum Julii P. ad Orientales in caussa S. Athanasii: Liberii ad Constantinum Imp. pro convocatione novi Concilii: Zozimi in Africam ob appellationes transmarinas.

h) Post sedem Imperii Bizantium translatam istud legatorum genus invaluisse scribit Hincmarus *Rhemensis Ep. III. cap.* 33 *edit. Mogunt.* alii eos ante Concilii Chalcedonensis tempora, & præcipue ante Justiniani Imp. victorias de Gothis relatas, haud exstitisse credunt. Interruptæ sunt postea hæ legationes occasione hære-

sis Iconoclastarum, restauratæ vero in aula Francica a Carolo. M. Conf. Van Espen *J. E. P. I. tit. XXI.*

i) Hujus instituti finis primarius fuit, nexum inter sedem Romanam, & reliquas Ecclesias firmiore vinculo colligare, ipsisque Ecclesiis, earumque Prælatis eatenus consulere, quatenus jura Papæ per Præsules provinciales promptius, quia propius, expedirentur. Erant vero jura Vicariorum Sedis Apostolicæ præcipua 1) præter *proedriam* ante Episcopos ceteros, generalem plurium Ecclesiarium curam nomine Pontificis Romani gerere, 2) ampliorem in eas *jurisdictionem* exercere, 3) causarum majorum ad Sedem Romanam pertinentium *relationes* recipere, 4) ubi opus esset, Synodos convocare.

k) Primus hujusmodi Vicarius occurrit Archiepiscopus *Thessalonicensis* per Illiricum. Eadem potestate, & dignitate ornati postea sunt in Germania Archiepiscopus *Moguntinus:* in aliis plagis septentrionalibus *Hamburgensis*, *Bremensis:* in Galiia *Arelatensis*, *Viennensis*, *Rhemensis*, *Lugdunensis:* in Hispania *Hispalensis* *Tarraconensis*, *Toletanus* &c. Conf. Thomassin *loc. cit. P. I. lib. I. cap. 18. 30. 31. seq.*

l) Docuit nimirum experientia, in his Legatis perpetuis, qui dignitates suas citra auctoritatem Papalam ferme consequutos se esse perperam credebant, minus præsidii Ecclesiæ Romanæ situm esse, quam in iis, qui Pontificum arbitrio mittebantur: eapropter de restringendis eorum juribus Pontifices Romani mature cogitabant.

2) A seculo IX. speciatim a tempore Nicolai I. igitur

a) Vicariorum Sedis Apostolicæ potestas sensim in *titulum* honoris ferme abiit; m)

b) *aucta*

b) *aucta* vero sunt Legatorum *temporaneorum*, & numerus, & *jura*;

c) ast horum in exigendis procurationibus, aliisque negotiis immoderatio Principibus & Episcopis eas causavit molestias, *n*)

d) ut immodicis exactionibus illorum ac attentatis per Concordata, Concilia, ac petita Romæ privilegia limites figi debuerint. *o*)

m) Revocatis ad Sedem Romanam plerisque Juribus (not. præced. i) quorum exercitium solummodo illis pridem delatum fuerat.

n) Vid S. Bernard. *epist. 290.* & *lib. IV. de considerat. cap. 5.* Conf. Petr de Marca *loc. cit. cap. 47. — 58. lib. V.* P. Oberhauser *cit. loc. pag. 226. seq.*

o) Huc referuntur 1) leges *Cap. 6* & *23. de cens cap. 2.* & *3. ibid. in 6.* quæ expensas & procurationes moderarentur. 2) Sanctiones Concilii *Constantiensis*, & quoad Germaniam Concordata cum Sede Romana inita, quibus potestas in conferendis beneficiis accuratius determinata est. 3) Concilii *Trident.* statuta *Sess XXIV. cap. 20. de reform.* quibus reliquis Legatorum juribus termini designantur.

3) A seculo XIII. ad nostra usque tempora tres adhuc Legatorum numeramus classes; nimirum

a) Legatorum natorum, qui in locum Vicariorum sedis Apostolicæ successerant. *p*)

b) Legatorum missorum, quos Nuntios Apostolicos proprie vocamus ad

certas provincias ablegatos, ibique ad revocationem usque Pontificis perſtituros. q)

c) Legatorum a latere, qui utpote Cardinales, *a latere* Pontificis quaſi avulſi, ad Regna, & Nationes pro bono Eccleſiæ Romanæ ablegantur, donec a Papa revocentur; ad quos & illos commode referes, qui equidem non Cardinales, cum *Charactere* tamen *Legati a latere* mittuntur. r)

p) Non idem vero adhuc eſt Legatorum natorum, qui olim Vicariorum Sedis Apoſtolicæ, numerus, nec eædem ſedes: plures enim injuriis temporum interierunt, alii creati ſunt iis etiam in urbibus Legati nati, in quibus nullus unquam S. A. Vicarius antea exſtitit. In *Germania* numerantur adhuc *Moguntinus Colonienſis*, *Trevirenſis*, *Salisburgenſis*: in *Hungaria Strigonienſis*: in *Hiſpania Toletanus*: in *Polonia Gnesnenſis*: in *Italia Piſanus* in *Bohemia Pragenſis*. Conf. Schott diſſ. *de legatis natis* Bambergæ 1778.

q) Tales in Germania *quinque*, ſcilicet *Viennenſis*, *Colonienſis*, *Bruxellenſis*, *Lucernenſis*, & noviſſime non ſine litibus *Monacenſis* conſtituti ſunt. Conf. Unparteiſche Gedanken über die dermahligen Nuntiatur-Streitigkeiten in Deutſchland. Mannheim 1778.

r) Qui cum charactere Legati *a latere* mittuntur, non integram ejus poteſtatem, ſed ſingulares ſolummodo quasdam facultates Legato a latere proprias præſeferunt, quas tamen in litteris Papæ expreſſas eſſe oportet.

III.

III. Legatorum Jura

olim ampliſſima, *s*) nunc ex Decretis Synodi *Tridentinæ*, *Concordatis* Germaniæ, ac *Obſervantia*, & uſu dimetienda ſunt; *t*) unde

1) Quoad collationem beneficiorum

per Concordata Germaniæ

a) in menſibus *Ordinariorum* beneficia haud amplius conferunt;
b) nec jure *præventionis*, *exſpectativæ*, aut *reſervationis Papalis*,
c) nec *concurrente* alias cum Ordinariis poteſtate pollent;
d) nec *confirmare* Archiepiſcopos, Epiſcopos, vel Abbates conſiſtoriales poſſunt.

s) Nempe quod 1) Legatos natos attinet, eadem erant antiquitus illorum jura, quæ Vicariorum, in quorum locum ſubſtituti ſunt. Conf. *præced.* n. *II.* n. 1 *not.* *i*; at acciſa jam ſunt adeo, ut præter *titulum honoris* nullam ferme poteſtatem habeant, niſi quam ex ſpeciali quadam Eccleſiæ Romanæ conceſſione, aut diuturna conſvetudine, regnorum etiam legibus roborata, retinuerunt. Conf. Lorber diſſ. *de Legat. nat.* 2) quoad Legatos miſſos ſive *Nuntios*, ſive *a Latere* eximiam plane fuiſſe eorum poteſtatem ex Decretalium libris *cap.* 1. 2. 3. 4. 8. 9. *ult. de offic. legat. Cap* 1. 2. 3. *de offic legat in* 6. *Cap* 23 *de privileg.* 31 *de præbend.* 28. *de jure patron* colligitur; verum & huic jam variis modis limites poſiti ſunt. Conf. *n præced.* *II.* *n.* 2 *lit.* *c* *not.* *o.* & Barthel. *adnot. ad jus can. tit. de offic. legat.*

t) Hæc enim utpote leges posteriores prioribus derogant.

2) Quoad negotia judicialia,

Vi Concilii *Tridentini*

a) nunquam in *prima*, in Germania tamen in *secunda* & *ulteriori* instantia judicare queunt, licet & hic aliqui excipiant; *u*)

c) in causis vero *profanis* omnis potestas ipsis per Recessus Imperii, & Capitulationem Cæsaream Art. XIV. §. 4. ademta est. *v*)

u) Inter quos Schenkl *cit. loc.* §. 237. *Schol.* Barthel *cit. loc.* affirmantes: moribus Germaniæ optionem dari aut ad Archiepiscopum, aut Curiam Romanam, aut ad Nuntios Apostolicos a sententiis definitivis Episcoporum appellandi, sed nec hanc consvetudinem esse totius Germaniæ communem, ut Archiepiscopatus *Moguntini* exemplum docet.

v) Recess. Imp. de an 1654.

3) In reliquis rebus

a) *Procurationes* equidem & subsidia iter facientibus denegata sunt; *x*)

b) *Dispensationes* tamen, *indulgentias* non plenarias, & *absolutiones* a censuris ab ipsis concedi experientia, & usus docet;

c) & quæ *speciali* Pontificis mandato ipsis committuntur, ita explere possunt,

d) ut nihilominus semper & Principum, & Episcoporum jura salva relinquere teneantur;

e) tibi

e) ubi tamen ipsius Ecclesiæ bonum exigere videtur, ne hi Principes aut Episcopi ab æmulationis aut odii affectibus semet abripi facile patiantur. y)

x) Juramento non obstante, quo ad suppeditanda se se olim Episcopi & Archiepiscopi devincire solebant, & adhucdum solent, quodque jam de humaniter, & reverenter, ut decet, excipiendis Legatis explicant.

y) Nemini alterum in exercitio juris sui absque justa causa turbare licet: quapropter nec Pontifex in jure suo mittendi legatos per Principes, aut Episcopos arbitrarie impediri poterit, quousque hi intra limites potestatis suæ se continent. Apte hanc ad rem scripserat Fridericus I. ad Adrianum IV *Cum autem videremus eos* (Legatos nempe) *quales requirit Ecclesia, portantes pacem, illuminantes patriam, assistentes causæ humilium in æquitate, necessariis stipendiis, & commeatu eos sustentare non differremus.*

§. IV.

PATRIARCHÆ, EXARCHÆ, PRIMATES, METROPOLITÆ.

I. Nominum determinatio. z)

a) Episcopi, qui in Metropoli *provinciæ* residebant, ceterisque præerant Episcopis, Metropolitæ, *a*)

b) qui in Metropoli *dioeceseos* reliquos totius illius ditionis Episcopos sibi habebant subordinatos, Exarchæ vocabantur. *b*)

 c) Hos

c) Hos inter Exarchas inprimis Episcopo Romano, dein & aliis, Patriarcharum nomen a Synodo I. *Chalcedonensi* tributum legimus. *c*)

d) Primatis titulum illis alicubi dabant, qui ordinationis tempore ceteros præcesserunt; *d*) communius tamen illos denotavit, qui Apostolicae Sedis Vicarii, Exarchæ, vel Metropolitæ erant insigniores.

e) Sic & *Archiepiscopi* compellatio Exarchis primum, & præcipuis Metropolitis propria, postea Metropolitis omnibus communis evasit; reperimus tamen & quosdam alios hoc nomine insignitos, qui nullum licet sub se haberent Episcopum, tamen & ipsi nulli quoque Metropolitæ parebant. *e*)

z) Prænotandum est; olim Romanum Imperium 1) in *præfecturas* quatuor *Orientem* nimirum, *Illiricum*, *Italiam*, *Gallias*: has rursus 2) in *diœceses*, atque istas 3) in *provincias* fuisse distributas. Per *diœcesim* igitur quondam plures provinciæ intelligebantur; ille vero districtus in quo simplex Episcopus suam jurisdictionem exercebat, *Parœciæ* nomine veniebat.

a) Docet id perspicue Can. 9. Concilii *Antiocheni*; ex quo tamen inferendum non est: totidem semper Metropolitas, quod Metropoles exstitisse; divisis enim successu temporis provinciis, ut judicio imperiali duæ Metropoles fierent, *non propterea visum est* Ecclesiæ *duos quoque metropolitanos Episcopos debere nominari, & ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei ecclesiam commutari, honoresque, aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator*, Inno-

Innocent. *epist. ad* Alexandr. *Antioch. Episcopum.*

b) Colligitur id ex Concil. VI. generalis Act. XIII. ubi Theodorus *Misericordia Dei Episcopus, Ephesinorum* Metropoles *&* Exarchus *Asianorum diœceseos* vocatur.

c) Ubi nimirum Act. III. Theodorus & Ischiron diaconi Alexandrini, & Athanasius presbyter Alexandr. libellos suos inscripserunt Leoni P. *Sanctissimo, & universali Archiepiscopo, &* Patriarchæ *magnæ Romæ* apud Harduinum *Tom. II. col.* 321. 326. 331. Imitatione quadam deinceps factum est, ut *Alexandrinus, Antiochenus,* postea *Constantinopolitanus,* ac *Hierosolimitanus* Patriarchæ appellarentur. Conf. Petr. de Marca diss. *de Constantinop. Patriarchæ institutione.* Paulo aliter sentiunt hac de re Salmasius *de Primat. cap. IV. pag.* 43. & Dupinius *de antiqu. Eccles. discipl. diss. I.* sed eorum opiniones haud verisimiles esse ostendit Rigger *cit. loc* §. 114. *& Schol.* De Patriarchis *minoribus* Occidentis vid. Lackics *I. E. Tom. II.* §. 468. Zech. *Hierarch. eccles. Tit. XVI.* §. 176.

d) Ita in Africæ ecclesiis *senior* Episcopus Primas erat, excepta tamen Chartaginensi sede cujus Antistes semper Primas fuerat. vid. *Can.* 90, 100. *Cod. Eccles. African.* Leonis IX. *epist.* 4. *ad Petrum et Joannem Episcopos* in *Collect. Concil.* Harduini *Tom. VI col.* 950. Conf. Rigger *cit. loc.* §. 138. *& Schol.* Hodie Primatis nomen vix aliud præter sterilem *honoris prærogativam* importat.

e) Dupin. *de antiqu. Eccles. discipl. dissert.* I. §. 3. Exemplum insigne habemus in Germaniæ Metropolitis, qui passim Archiepiscoporum nomine compellantur. De his inferius. De *tempo-*

re, quo Archiepiscopi titulus omnibus Metropolitis promiscue tribui cæpit, erudite egit Petr. de Marca *dissert, de Primat* §. 89. De *Archiepiscopis nulli Metropolitæ subjectis* vid. Rigger *loc. cit* §. 139. *Schol.*

II. Graduum istorum origo.

a) non a divina, aut apostolica etiam institutione, *f*)

b) sed partim a prærogativa *sacra* Ecclesiarum,

c) partim a prærogativa *politica* urbium, ubi sedes erant episcopales derivanda videtur. *g*)

f) Non esse hos gradus institutionis *divinæ* ex §. *II. n. II. præcognit.* & Concil. *Trident. Sess* 23. *can.* 6. eruitur. Qui eosdem ab *Apostolis* derivant, ad *Can* 1. & 2. *Dist* 80 & 99. plerumque provocant; sed præterea quod Canones isti ex spuriis Isidori Decretalibus hausti sint, patet ex historia: ævo Apostolorum nomina Patriarcharum, & Primatum in Ecclesia neque nota fuisse. *præced. not.* c.

g) Hæc opinio Zallweinii est *loc. cit. lib. IV. quæst II cap. II* §. 2. qui fere omnes in eo sibi consentientes habet; *moribus* primum singularem hanc Episcoporum quorundam in alios auctoritatem fuisse introductam, postea vero Conciliorum etiam *decretis* firmatam; quamvis, quo tempore id factum sit, definiri certo haud possit. Conf. Rigger *cit. loc.* §. 116. 117. *Schol.*

III. Patriarcharum, et Metropolitarum jurisdictio.

1) Pa-

1) Patriarcharum jura olim ſat ampla erant, nunc, quoad Occidentem ſaltem, fere in uno Romano Pontifice ſunt conſpicua; poterant nimirum

a) omnes ditionis ſuæ Metropolitas *ordinare*, & *confirmare*; *h*)
b) Synodis a ſe convocatis *præſidere*; *i*)
c) in ſubordinatos ſibi Metropolitas, & in horum defectu in ipſorum quoque ſuffraganeos *cenſuras* ferre; *k*)
d) *graviora* ditionis ſuæ negotia *decidere*, *appellationes* recipere; *l*)
e) fidei ac diſciplinæ integritatem per ſuum *Patriarchatum tueri*, ac *vindicare*. *m*)

h) *Can.* 28. *Concil. Chalcedon* item *Novell.* Juſtiniani Imp. VII. *cap.* 1. *&* CXXXI. *cap.* 3. Conf. Petr. de Marca de *Concord. Sacerd. & Imp. lib. I. cap.* 3. ipſe autem Patriarcha a ſynodo ſuæ diæceſeos ordinabatur. *Novell. cit.* CXXXI.

i) *Metropolitas* ſuis in provinciis jus iſtud habuiſſe docet Concilii *Nicæni can.* 5. *Antiocheni* 20. *Agathen:* 36 Canon item Apoſtol. 36.; eo minus igitur *Patriarchis* denegari poterit.

k) Expreſſam hac de re tulit legem Juſtinianus Imp. *Novell.* XXXXVII. *cap* 5.

l) *Si quis Epiſcoporum dubitationem aliquam habeat, ſive pro Eccleſiaſtico jure, ſive pro aliis quibusdam rebus: prius Metropolita eorum cum aliis de ſua Synodo Epiſcopis cauſam examinet, & judicet, & ſi non rata habuerit utraque pars, quæ judicata ſunt, tunc beatiſſimus Patriarcha dioeceſeos illius inter eos audiat, & illa determinet, quæ eccleſiaſticis canonibus, & legibus conſonant: nulla parte ejus ſententiæ contradicere valente.* Juſtinian. *Novell.* CXXIII. *cap.* 22.

m) Hæc,

m) Hæc, aliaque Patriarcharum jura, quæ fuſius recenſuit Rigger *cit. loc.* §. *118. 119.* ad *minores* Patriarchas (*præced n. I. not. c.*) non tranſiverunt, quos vix majore quam metropolitica poteſtate præditos novimus.

2) Metropolitarum jurisdictio

a) fere ſe ad eadem extendebat in ſuis provinciis, quæ Patriarchis in ſuis ditionibus competebant; *n*)

b) hodie vero per Canones, Concordata, Conſvetudinem, & Obſervantiam plura horum jurium vel accifa, vel antiquata novimus. *o*)

n) Versabatur nimirum præcipue, ut idem Cl. Paul. a Rigger §. *133 ſeq* demonſtrat 1) circa Episcoporum *confirmationes*, ac *ordinationes*, 2) circa *judicia*, 3) *celebrationem* Synodorum, 4) *emendationes* abuſum. &c,

o) Recol. quæ ſuperius §. *I. n. V.* de juribus Primatus *accidentalibus* dicta ſunt. Hodierna Metropolitanorum jura vid. in Concil. *Trident. Seſſ. VI cap 3. XXIII. cap. 1. & 18. de reform. XXIV. cap. II. de reform.* item *Cap. 3 de appellat. in 6. cap. 5. de ſupplenda. neglig Prælat. Cap. 1. de cenſib in 6. § ſane.* Conf. Schenkl *cit. loc.* §. 247.

IV. Hierarcharum iſtorum prærogativæ honoris conſiſtunt

a) in *Proedria* ante reliquos ejusdem ditionis vel provinciæ Episcopos;

b) in poteſtate *crucis* ſibi præferendæ; *p*)

c) in

c) in usu *Pallii*, cujus origo, forma, materia, conficiendi, petendi, deferendi ritus, obligatio, & modus notari merentur; *q*)

d) quod tamen & aliis Episcopis per *privilegium*, salva erga Metropolitanum subjectione, ita concedi posse videtur, ut Archiepiscopus prudenter invitus esse vix queat. *r*)

p) Crux *Metropolitarum* unico *Patriarcharum* vero duplici transverso ligno constat. De *locis* in quibus Metropolitis ac Patriarchis præferri potest, vid. Zech *cit. loc. Tit XVII. §* 187.

q) Egerunt de pallii 1) *origine* Thomassin. *loc. cit. P. I. lib. II cap.* 45. *&* 56. Pertsch *Tract. can. de orig. usu, ac auctoritate pallii archiepiscopalis*. 2) de *materia* & *forma* variis temporibus varia Papebrochius *dissert.* quam loc. cit. exhibet Pertsch. 3) de *conficiendi* ritu Van Espen *J. E. Tom. I. tit.* 19. *cap* 5. 4) de *petendi* ac *deferendi* modo. vid. *cap* 28 *de elect. cap.* 5. *de auct & usu pallii*. Pontificale Roman. *tit. de Pallio*.

r) Concessum vere novimus Episcopis *Hostiensi*, *Papiensi*, *Lucensi*, *Quinque-ecclesiensi*, *Bambergensi*, *Passaviensi*, & an. 1735 *Herbipolensi*. Quod an facere Pontifex invitis Metropolitis possit, vehementer disputatum est. Scriptores in utramque partem recensuit Schott in *supplement. biblioth. real. jurid. pag.* 173.

§. V.

§. V.

EPISCOPI.

I. Institutione Episcoporum, & juribus eorum præcipuis jam Cap. I. §. II. præcognit. præoccupatis, cetera communiter ad *quatuor* genera revocantur, scilicet ad

a) Jura Ordinis
b) — Status seu dignitatis,
c) — plenariæ Jurisdictionis,
d) — Legis diœeesanæ. *s*)

s) Distinctio inter Jurisdictionis, & Legis diœcesanæ jura ex quibusdam exemtionum privilegiis exorta videtur, cum primum a Joanne *Teutonico* ea, in quibus monachi episcopali potestati subducti fuerunt, ad *legem diœcesanam*, ea vero in quibus subjecti manebant, ad *legem jurisdictionis* referrentur. Conf. *cap. 18. de offic. jud ord.*

II. Ad jura Ordinis Episcopalis præter ea, quæ cum Presbyteris communia habent, reducuntur

a) potestas propria *confirmandi* baptizatos,
b) *ordinandi* Clericos,
c) conficiendi *Chrisma*,
d) Ecclesias, Altaria, vasa sacra, cœmeteria, aliaque loca sacra *consecrandi*, aut *benedicendi. t*)

t) Fleury *instit. J. E. P. I. cap. XII & XIII.* Rigger *cit. loc. §. 78. seq.* Concil. *Trident. Sess. XXIII. can 7.*

III. Jura

III Jura Status ſeu dignitatis cenſentur

a) *Præeminentia* ante Presbyteros; *u*)
b) *Tituli* honorifici, dum *Patrum Patres, Vicarii Chriſti, Angeli Eccleſiæ* &c vocantur. *v*)
c) *Inſignia* propria *Throni, Mitræ* &c. quæ ſub *Pontificalium* nomine veniunt. *x*)

u) Recol. dicta in *præcognit.* § *II n. V. 1. lit a. not. i. Adde* Bellarmin *Tom. II. Controvers. II. lib. I. cap. 14. 15.*

v) De aliis Episcoporum *titulis* leg. Bingham. *orig, & antiqu eccles. lib. II. cap. 2.*

x) Conf. Andr. du Sauſſay *Panopl. Episc.* & Thomaſſ. *cit. loc. P. I. lib. II* § 58.

IV.. Ad jura plenariæ Jurisdictionis per aſſignatam diœceſim revocantur

a) jus condendi *leges diœceſanas*, imo & decreta in rebus fidei & morum *interim* in diœceſi valitura *y*)
b) jus *dispenſandi* in decretis Synodorum tum particularium, tum etiam univerſalium, niſi materia oſtendatur reſervata; *z*)
c) jus *convocandi* Synodum diœceſanam & ipſam diœceſim *viſitandi* juxta formam Concil. *Trident. Seſſ. 24. cap. 3. de reform. a*)
d) jus infligendi, ſi neceſſe ſit, *cenſuras* eccleſiaſticas; *b*)
e) jus paſtores inferiores *conſtituendi conferendi* beneficia, vel ſaltem nominatos aut præſentatos *inſtituendi. c*)

y) Posse Episcopum in diœcesi sua statuta *disciplinaria* condere, demonstratur 1) ex Act. *XX. 28.* & præcognit. *Cap I. §. II n. II. & III* 2) ex *cap 2. de Majorit. & obedient.*; ut vero etiam in *rebus fidei* & morum *provisoria* decreta constituant, urgens non raro *necessitas* exposcit. Adde: quod vel in ipsius Concilii *Chalcedon* act. III. Leonis Papæ Legati declaraverint: *Eutychen regulariter a proprio damnatum Episcopo Flaviano.* Sed conf. *cit. Cod. Pruss. P. II. tit. XI. Sect. III. §. 117.*

z) Quoad leges *particulares* nemo, quantum novi jus dispensandi Episcopis negat: ast non æque consentiunt, quando de *generalibus* Ecclesiæ statutis relaxandis agitur. Ajunt enim: 1) elidi ejusmodi jure potestatem eam, quam superius *§. I. n. IV. not. p.* Ecclesiæ Primati tribuimus. 2) sese fontem non noscere, ex quo inferior jus hauriret in lege superioris, absque hujus mandato, dispensandi. 3) hac Potestate ad Episcopos etiam protensa, ob facilem ejus abusum, gravi periculo unitatem Ecclesiæ exponi. Sed non videntur hæc aliis gravia satis ad contrariam eorum sententiam refellendam; reponunt enim ad 1mum: magnum inter Pontificis & Episcoporum jus discrimen inveniri, nempe illud ad omnia generalia statuta disciplinaria, atque ad *universam* Ecclesiam extendi, hoc vero nonnisi ad ea, quæ reservata non sunt, nec nisi ad *diœcesim* Episcopi *propriam* pertinere; ad 2dum: jus istud ex ipsa Episcoporum *dignitate*, & *necessitate*, indeque facile præsumendo *consensu legali* repeti posse; ad 3tium: malo huic paratissimum esse in supremo Pontificis jure inspectionis, ne Ecclesia detrimenti aliquid patiatur, remedium. Conf. Caspar. Barthel in *adnotat. ad Jus Eccl. lib. I. Tit. XXXIII. n. 48.* Van Espen *Diss. Can. de dispens. cap. I. §. 7.*

a) Fre-

a) Frequentissimas pristinis Ecclesiæ seculis fuisse has Synodos, docet abunde hist. ecclesiastica. De *utilitate*, atque instituendarum ratione egit copiose, ac eleganter Benedictus XIV. P. M. *Tomis II. de Synodo diœcesana* Ferrariæ an. 1767 editis. De jure *visitandi* diœcesin legi inter ceteros meretur Van Espen *J. E. U. P. I tit. XVIII cap 1* consonat *cit. Cod. Pruss. cit. loc.* §. 123 Der Bischof ist berechtigt, bey den Kirchen seiner Diözes, so oft er es nöthig findet, Visitationen vorzunehmen.

b) Profluit jus istud ex ipsa notione imperii (*præcognit:* §. *I. n. II.*) quod in Apostolorum successores Episcopos transiisse *ibid* §. *II n. II III*, demonstratum est, utque eo efficacius transgressiones legum impediat, non raro temporalibus etiam quibusdam pœnis in transgressores animadvertendi potestatem sibi annexam habet. Conf. *cit. Cod. cit. loc.* § 125. Conjuncta eidem quoque est potestas *judicandi*, de qua Bonificacius VIII. *cap 7 de offic. ordin. in 6.* sic loquitur: *Episcopus in tota sua diœcesi jurisdictionem ordinariam noscitur habere*; sed magnam mutationem passa est causis arduis Sedi Romanæ reservatis. Vid Van Espen *cit. loc. P III tit V.*

c) Antiquitus collatio *ordinis* a collatione *beneficii* sejuncta non fuit; cum itaque jus conferendi ordinis Episcopis competat, idem de beneficiorum collatione dicendum erit, præcipue quia nil conveniens magis est, quam collaboratores in vinea Domini ab eo eligi, cui præcipua vineæ cura incumbit. Conf. *cit. Cod. Pruss. cit. loc.* § 120.

V. Ad legem diœcesanam numerant a) facultatem exigendi *Cathedraticum* in signum subjectionis præstandum, cujus quantitas ab observantia Diœcesium determinatur. *d*)

b) jus

b) jus petendi *subsidium caritativum* ex manifesta & rationabili caussa in sacris canonibus fundata; *e*)

c) jus *Procurationem Canonicam*, seu hospitium cum victu congruo pro Visitatoribus postulandi. *f*)

d) Cathedraticum, *Synodaticum* etiam dictum, est pensio annua ex Ecclesiis & beneficiis Episcopo in signum subjectionis, & honorem Ecclesiæ cathedralis pendenda.

e) Istud peti solummodo potest 1) cum consensu Capituli, 2) a Clericis duntaxat diœcesanis, iisque ultra congruam præbendatis.

f) Congregatio Cardinalium Concilii *Trident.* Interpretum decidit an. 1737, Episcopo bis, aut sæpius eodem anno dioecesim visitanti unicam tantum deberi procurationem.

VI. Manet tamen semper Episcoporum potestas *essentialiter* Primati, *g*) *accidentaliter* Metropolitis subordinata; inde

a) jam sæculo VI. mos invaluit, ut præter professionem fidei *obedientiam* quoque Metropolitis Germaniæ Episcopi promitterent;

b) seculo VIII. S. Bonifacius etiam *subjectionis* juramentum Pontifici præstitit, & a Metropolitis Germaniæ præstari deinceps curavit; *h*)

c) imo devoluta ad Primatem per Concordata Episcoporum in Germania fere omnium confirmatione isti ad hunc usque diem

sese

ſeſe Romano Pontifici tali *fidelitatis* & *obedientiæ* juramento obſtringunt; *i*)

d) cujus formula pejus a quibusdam, quam meretur, traducitur, *k*)

e) etſi ea in quibusdam immutanda non immerito videatur. *l*)

g) Conf. præcognit. *§. II. n. III. 2. lit. b not. z.*

h) Formulam juramenti a S. Bonifacio Pontifici præſtiti edidit Serarius inter epiſtolas S. Bonifacii *pag.* 163 finis formulæ eſt: *Hoc indiculum ſacramenti, ego Bonifacius exiguus Episcopus manu propria ſcripſi: atque poſitum ſupra ſacratiſſimum corpus tuum, ut ſuperius leguntur, Deo teſte & judice, præſtiti ſacramentum, quod & conſervare promitto.* Ut exemplum illud imitarentur Metropolitæ alii, in Synodo ea præſcripſit, de qua loquitur *epiſt. 105.* ad Episcopum Cudbertum.

i) De juramenti hujus *antiquitate*, & *æquitate* legenda diſſert. in Collectaneis, Schriften, ſo zur Steuer der Wahrheit ꝛc. Augsburg 1784. Tom. V. n. I. item *Cap. 4. de elect. & electi poteſtat.*

k) Formulam ipſam vid. apud Zech *Hierarch. eccles. Tit. XXII. §. 254* Quæ vero ad eam excuſandam valere poſſunt, vid. apud Barthel. *Tom. II. opusc. VI. pag. 486* aut in diſſert. mox citata.

l) Conf. Van Espen *J. E. U. P. I. tit. XV. §. n. 17.*

VII. Episcoporum Dotes & Obligationes poſt S. Paulum *Epiſt. ad Tit. & Timoth.* Concilium *Trident.* præ ceteris optime determinavit: *m*) igitur

a) natalibus ætate, moribus per ſacros Canones præſcriptis præditi, & ſex ſaltem menſibus prius in ordine ſacro conſtituti ſint; *n*)
b) doctrina Theologiæ & Juris Canonici, ut alios erudire poſſint, exornentur; *o*)
c) in diœceſi perpetuo reſideant, nec ultra duos menſes, niſi ex cauſſa juſta, & absque gregis detrimento abſint; *p*)
d) verbum Dei per ſeipſos, niſi legitime impediti prædicent; *q*)
e) exempla evangelicæ perfectionis in ſemetipſis exhibeant;
f) morum gravitate dignitatem ſuam commendent;
g) ac modeſtiam absque indigna tamen & noxia ſæpe demiſſione colant. *r*)

m) *Seſſ.* nimirum *V. VI. XXII. XXV. de reform.* ubi præter dotes, quæ Episcopum ornant, graviſſimæ ſimul aſſignantur cauſſæ, cur carere illis animarum Paſtores, non deceat.

n) Ad Episcopatum *trigeſimus* ætatis *annus* requiritur. *Cap* 7. *de elect.*

o) *Diſt.* 35. *usque* 90. item *Inſtruct*: Urbani VIII. apud Barboſam *lib. I. J. E cap* 9

p) *Noſti*, verba ſunt S. Atthanaſii in *apol. ad Conſtantium Imp.*, *ex lectione ſcripturarum, quanti ſceleris ſit Episcopum Eccleſiam ſuam deſerere, & negligere gregem Dei. Paſtorum enim abſentia lupis invadendi gregis occaſionem præſtat. Si fugiſſem, quam excuſationem apud veros Episcopos, vel potius apud eum, qui mihi hunc gregem credidit, habuiſſem?*

q) *Cap.*

q) *Cap. 15. de officio ordinar. I. Cor. I. 18. Act. XX. 18. seq.* Chrysostom. *lib. IV. de Sacerd. cap. 8.* plura leg. apud Oberhauser *cit. loc. cap. V. §. III.*

r) Id S. Paulus Tito suo quam impensissime commendat: *in omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, integritate, in gravitate; verbum sanum irrepræhensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. cap. II. v. 7. 8.*

§. VI.

EPISCOPI AC METROPOLITAE GERMANIAE IN SPECIE.

I. Novere piissimi Germaniæ quondam Reges ac Principes præcipuum Imperii lucrum a Religione esse repetendum; s) inde

a) jam Carolingicorum ævo *munia publica* Episcopis concredita,

b) ac potestas quoque *judiciaria* in rebus civilibus concessa,

c) cui dein jura *Regaliæ*, ac superioritas *territorialis* accessere, quibus modo plerique ceu veri Imperii Status, ac Principes refulgent; t)

d) ex qua prærogativa certe & Ecclesiæ, & Imperio plurimum, *si cetera supponas*, accedet emolumenti. u)

s) Persvasum id erat jam olim Theodosio, cujus verba ex *epist. ad* Cyrillum apud Edmundum Richerium *Hist. Concil. General. lib.*

 I.

I cap. VII. §. 2. apponimus: *Reipublicæ nostræ constitutio, ea, quæ in Deum est pietate præcipue nititur, multaque inter hanc, & illam cognatio, & familiaritas intercedere solet. Nam ex se invicem pendent, & utraque prosperis alterius successibus incrementa sumit.* Pura vid apud Budæum in Dissert. *de concord. religionis christianæ, vitæque civilis. Cap. I seq.*

t) Schenkl §. 258. *Schol. cit. loc.*

u) Vid. Mueller *dissert. 16. Tom. II. Thesaur. J. Eccles.* item Barthel *opusc. Tom. I. op. IV. pag. 313.*

II. Metropolitæ Germaniæ recensentur:

a) *Moguntinus*, S. R. I. Elector, Archicancellarius per Germaniam, qui & Imperatoris electi Coronationem, siquidem in sua Diœcesi, ut hodie plerumque, contingat, peragit. v)

b) *Trevirensis*, S. R. I. Elector, Archicancellarius per Galliam, & Arelatem. x)

c) *Coloniensis*, S. R. I. Elector, Archicancellarius per Italiam. Jure etiam coronandi Imperatorem, si in sua Diœcesi actio fiat, gaudet. y)

d) *Salisburgensis*, Titulo Primatis Germaniæ, & primo post Electores loco insignis. z)

e) *Pragensis*, ob Bohemiæ cum Imperio nexum inter Germaniæ Episcopos recensetur. a)

f) *Vesuntinus*, qui, etsi in Galliarum ditionibus positus, S. R. I. Principibus accensebatur. *b*)

g) *Goritiensis* in Carniola. *c*)

h) *Viennensis* in Austria, auctore Carolo VI. Imperatore ab Innocentio XIII. Archiepiscopus renunciatus est. *d*)

i) *Olomucensis* in Moravia, Archiepiscopali dignitate haud ita pridem sub Augusta Maria Theresia potitus est. *e*)

v) Ejus suffraganei hodie sunt *Argentinensis*, *Augustanus*, *Constantiensis*, *Curiensis*, *Eustadianus*, *Hildesiensis*, *Paderbornensis*, *Spirensis*, *Herbipolensis*, *Wormatiensis*, & *Fuldensis* Historicam notitiam præbet Nicol. Serarius *de rebus Moguntiacis*.

x) Suffraganeos habet *Metensem*, *Tullensem*, & *Verdunensem* licet horum Episcopatuum districtus per P. W. Monaster. Art. XI. §. 70. Regi Galliæ cessi fuerint: Leg. Christoph. Broweri *Annales Trevirenses*.

y) Suffraganeos hodiedum numerat *Leodiensem*, *Monasteriensem*, & *Osnabrugensem*; *Mindensis* enim Episcopatus per P. W. seculo addictus, *Ultrajectensis* vero jam anno 1559. exemptus, & in Archiepiscopatum evectus, imo nunc a Sedis Romanæ communione exclusus est. De Metropoli Coloniensi scripsit Hermannus Crombachius, & Aegidius Gelenius.

z) Inter suffraganeos suos *Chiemensem*, *Gurcensem*, *Lavantinum*, & *Seccoviensem*, Episcopos, & Imperii Principes mediatos, ipse nominandi, confirmandi, ac transferendi jure præ ceteris singulari gaudet. Reliqui ejus suffraganei sunt *Brixinensis*, & *Frisingensis*. Consulatur Marcus Hansiz,

Hansiz, & Jos. Metzger *de Archiepiscopatu Salisburgensi*; de ceteris ejus in S R I. prærogativis vid. Zallwein *Princ. J E. Tom. IV. q. 4.*

a) Suffraganeos habet *Regino-Gradensem*, & *Litomericiensem.*

b) Præter Gallicos, *Basileensem*, & *Lausannensem* Germanos suffragantes retinet.

c) Hujus suffraganei sunt *Tergestinus*, & *Petinensis* in Istria, *Comensis* in Ducatu Mediolanensi, & *Tridentinus* in Germania.

d) Suffraganeum hactenus solum *Neostadiensem*, antea exemplum, habuit; accessit jam alter *Lincii* nuperrime collocatus.

e) Olomucensis habet Suffraganeum *Brunensem* in Moravia.

III. Episcopi Protestantici duo numerantur

a) *Lubecensis*, semper

b) *Osnabrugensis*, alternis vicibus Protestanticæ Religioni addictus;

c) potius vero ad Episcopatum, quam ad munus episcopale eliguntur;

d) absque præjudicio status, aut dignitatis titulis *electorum*, aut *postulatorum* in Episcopos &c. insigniuntur;

e) sessionem in scamno inter ecclesiasticos & seculares *medio*, ac *transverso* capiunt;

f) a Cæsare facta electionis aut postulationis suæ fide, investiuntur; præter Taxam vero

ro ordinariam ejus insuper dimidium pro infeudatione solvunt. *f*)

f) Paçi Westphalicæ uterque originem suam debet, cujus Art. V. §. 21 & 22. etiam jura eorum præcipua determinantur.

§. VII.

EPISCOPI TITULARES, CHOREPISCOPI, COADJUTORES, VICARII.

I. Episcopi titulares, seu in Partibus *g*)

a) a seculo XIII. rectius repetuntur, cum tales a Latinis ad Ecclesiarum, quas per expeditiones cruciatas obtinuerant, iterum deperditarum titulos tum in *ecclesiastici*, tum in *cæsarei* juris memoriam ordinarentur;

b) *subsidiariam* tum Pontifici, tum Episcopis operam præstant, a quibus & designantur, determinata eis quadam *in partibus* Ecclesia;

c) *veri* sunt Episcopi tum ordine, tum jurisdictione episcopali præditi, jura tamen absque Episcopi ordinarii consensu exercere in Diœcesi nequeunt;

d) fere in omnibus Germaniæ Ecclesiis inveniuntur, cum Episcopi, Imperii simul Principes, & amplissimas habentes Diœceses, eorum auxilio carere vix possint; *h*)

e) nec Obſtat Concilium Tridentinum *Seſſ. XIV. cap. 2. de reform.* utpote quod in vagos ſolum Episcopos ſevere adeo animadvertit. *i*)

g) Originem horum Episcoporum aliqui a Chorepiſcopis deducunt. Thomaſſin. cit. loc. *P. I. lib. I. cap* 28.

h) Exemplum moris hujus deprehendimus jam in Concilio *Colonienſi* an. 1322; ubi Adolphi Leodienſis Episcopi Procurator Hermannus Hennenſis Episcopus ſubſcripſit, qui ab ipſo Adolpho in adjecta ratificatione dicitur *vices noſtras gerens in Pontificalibus.*

i) Prohibens ſub gravibus pœnis: ne ſeſe ullo ſub prætextu in exercitium jurium ſive ordinis, ſive jurisdictionis Episcopi ordinarii ſine expreſſo ejus conſenſu immiscere præſumant. Idem fere jam prius Concilium *Viennenſe* occaſione multorum Regularium decreverat, qui vitæ monaſticæ pertæſi, Episcopalem hanc in partibus dignitatem, & cum ea vitam vagam quærebant, *qui vero nec, ut expediret, prodeſſe, nec præeſſe, ut deceret, valentes inſtabilitate vagationis & mendicitatis opprobrio ſerenitatem Pontificalis obnubilant dignitatis. Clement. 5: de Elect.* Quapropter res demum eo rediit, ut nullus absque Summi Pontificis auctoritate ordinaretur ejusmodi Episcopus titularis: ipſe autem Papa non ordinaret, niſi illos, qui alium quemdam Episcopatum, vel ſaltem aliquam adminiſtratiooem, ex cujus reditibus ſuſtentarentur, obtinerent. Conf. Ant. Dürr. *Diſſert. inaug. de Suffraganeis, ſeu Vicariis in Pontificalibus Episc. Germ. Mogunt.* 1782.

II. Chor-

II. Chorepiscopi seu Episcoporum vices ruri agentes

a) in Oriente jam seculo III. in Occidente seculo V. reperiuntur; *k*)

b) præerant nimirum *Presbyteris agrorum*, pauperum curam agebant; & minores dein quoque ordines contulisse leguntur;

c) Episcopi *veri* quidem ex instituto suo haud fuisse, interdum tamen episcopali caractere insigniti videntur; *l*)

d) in potestatis suæ exercitio ab Episcoporum semper pendebant arbitrio;

e) unde et, cum limites sibi fixos transilirent, a seculo IX. sensim abrogati sunt. *m*)

k) Omnium primo mentio eorum occurrit in Concilio *Ancyrano* an. 314 *can. 13*: frequentior postea e. g. in Concilio *Nicæn. I. can 8 Antiocheno can. 10.* Transiit mos in Ecclesiam latinam, quod exemplo Armentarii cujusdam ab Episcopatu depositi constat, de quo circa annum 439. teste Thomassino loc. cit. *P. I. lib II. cap. I. §. 13.* in Concilio *Rheginensi* declaratum est: ut ei *liceat in unam parochiarum suarum Ecclesiam concedere, in qua Chorepiscopi nomine fruatur.*

l) Circa *Ordinem* Chorepiscoporum Doctores in tres abeunt sententias, quarum *una* est eorum, qui eos supra Presbyteros non evehunt: *altera*, qua Episcopis ordine, & potestate pares fuisse dicuntur: *tertia* denique duo Chorepiscoporum genera fuisse existimat, ita, ut alios quidem Episcopos, alios Presbyteros faciat. Primam defendit etiam Gratianus *Dist. 68. can. 4. 5*; alteram Beveregius *in Pand. can. Tom. II. in not. ad Concil. Ancyran. can: 13.* Bingham, *Orig. Eccles. vol. I. lib. II. cap. 14.* postremam Petr. de Marca *de Concord. Sacerd. & Imp. lib.*

lib II. cap. 13 Singularum argumenta examinat Paul a Rigger cit. loc. *§. 69. seq.*

m) Vid. capitul. Caroli M. *lib. VI, cap.* 369. supersunt tamen in Germania quidam in dignitate ecclesiastica constituti, qui hodieque Chorepiscoporum nomine honorantur: sic in Ecclesia Cathedrali *Trevirensi* quinque inter Canonicos Capitulares, qui certis Ecclesiis seu Titulis sunt adscripti, *Chorepiscopi* dicuntur. Alio sensu *Cantores* nomine Chorepiscoporum veniunt in Synodo *Colonien* 1260 Conf. *Dist. 68, can.* 5.

III. Coadjutores Episcopis adjunguntur

1) vel ad sublevandum, &

a) ea omnia exercere possunt, quæ Episcopus aut non vult, aut omnino peragere ratione ætatis, morbi &c. nequit; *n*)
b) congrua etiam accipiunt pro modo administrationis alimenta; *o*)
c) & primum ab Episcopo in Diœcesi obtinent locum; *p*)
d) *ad tempus* olim cum consensu Synodi provincialis vel Metropolitæ, & Principis adsumebantur, nunc cum consensu Capituli ab Episcopo, vel si hic mentis impos sit, a duabus Capituli partibus adoptantur. *q*)

n) Excipitur nominatim alienatio bonorum Ecclesiæ. *Cap. un. de Cler. ægrot. in 6, & Cap. 42. de Elect. in 6.*

o) Hæc enim] conceduntur & Vicariis perpetuis Ecclesiarum parochialium de reditibus Ecclesiæ, cui deserviunt *Cap. 10. & 12. de præbend.* æquum

igitur

igitur est, ut Coadjutoribus Episcoporum non denegentur. *Cap. 3. 4. de Cler ægrot*: & Concil. *Trident. Sess. XXI. cap. 4. & 6. de reform.*

p) Relate ad *extraneos* praxis adtendenda est. vid. Zallwein loc. cit. *Tom. IV. pag. 179.* Zech loc. cit. *§. 297.*

q) *Cap. un. de Cler. ægrot. in 6.*

2) Vel ad succedendum, &

a) a Pontifice constituuntur, r) ita tamen, ut jus eos designandi salvum illis maneat, qui alias vacante Sede electionis, aut nominationis jure pollent; s)

b) cum in Germania plerumque præcise ad *succedendum* dentur, invito Episcopo nullis se immiscere possunt negotiis;

c) vacante autem Sede mox, facta prævie *inthronisatione*, succedunt, nec administratio Ecclesiæ ad Capitulum devolvitur. t)

r) Vi decreti Concilii *Trident. Sess XXV cap 7. de reform.* quod ita sonat: *si quando Ecclesiæ Cathedralis, aut monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet Prælato dari Coadjutorem, is non alias cum futura successione detur, quam hæc caussa prius diligenter a Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ a Jure, & decretis hujus sanctæ Synodi in Episcopis & Prælatis requiruntur.* Conf. Zech cit. loc. *§. 293.*

s) Unde in Germania Coadjutor *perpetuus* constitui, nisi consensu Capitulorum, nequit, quorum juribus ad electionem Episcopi per Concordata firmatis Pontifex non vult præjudicare, curantibus aliunde, ne id fiat, Imperatoribus vi capitulat. *Art. 14.*

t) Sed si Coadjutum mori contingat, antequam expeditæ sint Romæ litteræ Apostolicæ: vel expeditæ quidem, verum Episcopo aut Capitulo nondum exhibitæ, num sit locus dandus successioni? — Negat in casu priore Placidus Boeckn *lib III. tit. 6. in fine*, quia deficit Coadjutoria, cui jus succedendi innititur: affirmat in posteriore: quia in Rescriptis gratiæ *Datæ*, non *Præsentatæ* tempus respicitur. *Cap. 7. de Rescrpt.* Plura de Coadjutoribus vid. apud Schmier *tract. de Coadjutoribus.* Thomassin. cit. loc. *lib. II. P II. cap 55. seq* Leges de Coadjutoribus e cit: Cod. Pruss. a communibus hactenus relatis haud differunt. Vid. *P. II. Tit. XI. Sect. XII. §. 1015. seq de Coadjutoribus.*

IV. Vicarii Episcoporum. *u*)

1) Archipresbyteri: *v*) hi

a) Seniores olim reliquorum erant Presbyterorum, hoc nomine jam a sec. IV. compellati; *x*)

b) in functionibus ordinis sacerdotalis *vicariam* Episcopis navabant operam;

c) publice pœnitentium curam agebant;

d) Clericosque ceteros in sacris officiis dirigebant. *y*)

u) Vicariorum Episcopalium non una est species: alii nempe vices Episcoporum gerunt in *actibus ordinis*: alii in iis, quæ ad *jurisdictionem* referuntur. Ad illos pertinebant olim 1) ex *Chorepiscopis* illi inprimis, qui Episcopali charactere insigniti erant. *n. præced. II.* 2) *Archipresbyteri*, quoad actus Episcopi *ordinis Sacerdotalis*, *tit. de offic. Archipresbyt.* 3) nunc adhuc Episcopi *Suffraganei. n. præced. I.*

v) Dum

w) Dum ſec. VII. ut vult Thomaſſin. cit. loc. *P. I. lib. II. cap. 5.* Diœceſes in partes *circulos* plerumque vocamus, ſunt ſectæ, Archipresbyteri alii in *civitate*, alii *ruri* ſunt conſtituti; illi appellabantur *urbicarii* ſeu *civitatenſes*, hi vero Archipresbyteri vel Decani *rurales*. *Cap. 4. & ult. de offic. Archipresb.* De prioribus hic agitur.

x) Apud Græcos vocabantur *Proto-presbyteri Nov. 123. cap. 3.* apud recentiores *Proto-papæ*. De his facit mentionem S. Hieronimus *epiſt. 4. ad Ruſtic.*

y) *Cap. 1. 2. 3. de offic. Archipresb.* plura eorundem enumerantur jura illaque adeo ampla, ut mirum non ſit, cur Leo X. in bulla: *pro excellenti*: officium iſtud *majoribus* Eccleſiæ Cathedralis dignitatibus adnumeravit. Ceterum moribus recentioribus munia Archipresbyteratus in Decanum Eccleſiæ Cathedralis ut plurimum ſunt translata, auctoritate etiam aliquando majore, quam veterum Archipresbyterorum fuerat.

2) Archidiaconi z)

a) a ſeculo item IV. noti, non ſecundum ordinationis *ætatem*, ſed pro *meritis* ac dexteritate adſumti; *a*)

b) mere *vicariam* primum, mox & *ordinariam*, Episcopo tamen *ſubordinatam*, jurisdictionem accepere, *b*)

c) vi cujus viſitare Diœceſim, examinare Clericos, eorumque minores derimere lites poterant, *c*)

d) ſalva tamen ad Episcopum *appellatione*, cui & cauſſæ matrimoniales, beneficiales, & criminales reſervabantur; *d*)

e) hodie

e) hodie vero poteſtas eorum imminuta, jam non ex decretalibus, ſed ex episcopalis *mandati* formula, aut Diœceſium *obſervantia* determinatur. *e*) Succeſſere ipſis Vicarii Generales.

z) Differentiam inter Archidiaconum, & Archipresbyterum tradit Fagnanus *in Cap. Ad hæc: de offic. Archidiac.*

a) Occurrit eorum nomen jam apud Optat Milevit. *de ſchism. Donatiſt lib. I. cap. 16.* apud Sulpit: Severum *dial. II. cap. 1.*

b) *Cap. 7. de præbend. cap 3. de appellat. in 6. cap. 34. de Elect. cap. 10. de offic. Archidiac.* Inde vero eſt, quod in Jure *oculus Episcopi. Diſt 93. can. 6. 11* ejusque *Vicarius natus, & in omnibus Cap. 1. de offic. Archidiac.* appellentur.

c) Alia eorum jura vid. *Diſt. 63 can. 1. cap. 1. & tot. tit. de offic. Archidiac.* item *cap. 2. de exceſſ. Prælat.*

d) Vid Concil. Trident. Seſſ. XXIV. cap. 20. de reform.

e) Limitationes poteſtatis Archidiaconalis, quæ jam de jure communi dantur, vid. apud Leuren *de Vicar. Episc. tract IV. cap. II. a quæſt. 646.* Aliæ auctoritate Episcoporum acceſſere ita ut in multis Eccleſiis etiam nomen Archidiaconi exoleverit; vel remanſerit quidem, at cum ſola & ſimplici præeminentia Sedis. vid. Zech cit. loc. *ſ. 309.*

3) Vicarii Generales: *f*)

a) hi poteſtate *ordinaria*, & ſimul *vicaria* ea omnia virtute *mandati generalis* poſſunt, quæ

quæ ad ordinariam Epiſcopi jurisdictionem pertinent, iis, quæ ex conſvetudine aut Episcopi voluntate *mandatum ſpeciale* exigunt, exceptis; *g*)

b) Eccleſiarum tamen varia eſt obſervantia, & ſæpius *Conſiſtoria* conſtituta ſunt, quibus Vicarii generales præſidere, eorumque in rebus majoris momenti ſuffragia colligere tenentur. *h*)

f) Vocantur etiam 1) *Officiales*, uti *Cap.* 2. *de regular.* & Concil. *Trident. Seſſ. XXIV. cap. 16 de reform:* quamvis hodierno uſu nomen iſtud illis tribuitur, qui cauſſas *matrimoniales*, & *Decimales* cognoſcunt: illud vero Vicarii Generalis, ad eos ſpectat, qui alias jurisdictionis Epiſcopalis partes obeunt; 2) ad diſtinctionem Suffraganeorum, ſeu Vicariorum in Pontificalibus Vicarii Epiſcoporum *in Spiritualibus*: atque tales ſe jam ſeculo IV. deprehendere exiſtimat Thomaſſin. cit. loc. *P. I. lib. II. cap.* 7. item Zech cit. loc. §. 312. ſed enim certius eſt, eos poſt Synodum *Lateranenſem IV.* uſu magis, quam lege paſſim invaluiſſe, cum nimirum Archidiaconorum poteſtas vehementer diminuta eſſet.

g) Qua ratione poteſtas hæc *ordinaria*, & *vicaria* ſimul dicitur, vid. apud Schrodt ad *tit. de offic. Vicar.* §. 647. *ſeq.* Negotia a poteſtate Vicarii exemta recenſentur *Cap.* 4. *de procurat. in 6. Cap.* 2. & 3. *de offic. Vicar in 6.* item apud Zech §. 317. *cit. loc.* Huc Benedictus XIV. P. refert confectionem proceſſus in materia Beatificationis, & Canonizationis *lib. II. de Serv. Dei Beatif. Cap. II. n. 9.*

h) Conf. Maur. Schenkl cit. loc. §. 284. *Schol.* 2. Cauſas vi Sanctionis pragmaticæ Episcopalis de dato Niſſæ 26. *Octobr.* 1699. cum Vicario Ge-

nerali tum Consistorio Episcopali demandatas vid. apud Joan. de Friedenberg in *Tract. de quibusdam Siles. Jur. lib. I. cap. X. §. 3. 19.*

4) Vicarii foranei, Decani &c. *i*)

a) subjacent *Vicario Generali*, ad quem proin & provocare licebit;

b) eorum vero potestas huc fere redit, ut Curatos in Parochiis Episcopi nomine *investire*, aut investitos *introducere*, secundum normam Synodi Tridentinæ *visitare*, *monere*, ac si necesse sit, ad Episcopi Consistorium *deferre* possint, ac debeant. *k*)

i) Hos alicubi *Plebanos*, *Commissarios* Episcopales vocant, imo cum Archipresbyteris *ruralibus*, quorum originem *n. præced. 1 not. v.* indicavimus, eosdem esse dicunt. Quoad Diœcesim nostram hoc discrimen passim intercedit: *Commissarii* Episcopales in *majoribus* Diœceseos partibus pluribus Archipresbyteris præsunt, ipsi immediate Vicario Generali subordinati: *Archipresbyteri* vero rurales in simplices Parochos, & Curatos per *minores* Commissariatus cujuspiam circulos jura quædam exercent. De quibus vid. idem Joan. de Friedenberg cit. loc. *lib. I. cap. 10 §. 52.*

k) Ubicunque Episcopi ipsi scripto investituram concedere solent, Vicariis foraneis &c. nonnisi jus introducendi investitum demandant.

§. VIII.

§. VIII.

CANONICI, EORUMQUE CAPITULA.

I. Canonicorum Origo, et Nomen.

a) Jam a primis Ecclesiæ seculis Episcopalis Ecclesiæ Clerici Senatum Episcopi constituebant; *l*)

b) nomen vero *Canonicorum* primum illis Clericis tributum, qui *Canoni*, seu Albo Ecclesiæ cujusdam inscripti stabile annuatim exinde stipendium accepere; *m*) postea illis proprium evasit, qui vitam communem, certamque vivendi regulam seu *canonem* sactabantur. *n*)

l) Fleury *Inst. J. E. P. I cap. XVII. §. 2.* Bingham. *orig. Eccles lib. II. cap. XIX. §. 8.*

m) Hi opponebantur illis, qui Oratoriis privatorum, ac Magnatum, à quibus sustentabantur, addicti, & ideo Canoni Ecclesiæ pro accipienda sustentatione adscripti non erant. Concil. *Avernens. can. 15* Conf. Ant. Mathæi *de nobil. lib. II. cap. 33. p. 537.*

n) Teste S. Ambrosio *epist. 82.* imo ipso S. Augustino *Serm 49. 50. al. 355. 356.* Episcopus iste *Hipponensis* Clericos suos ad vitam communem & statum perfectæ paupertatis sublata omni proprietate reduxit, ipsemet veluti minimus inter eos versatus; idem fecerat Eusebius *Vercellensis* seculo IV. Ast sicut institutum hoc præter quasdam Africæ non ad multas alias Ecclesias penetravit, ut vult Thomassin. *P. I. lib. III. cap. 7. & 8.* Boehmer. *J. E. Tom. II. lib. III. tit. I. §. 11.* ita coadunatis his

Clericis nomen Canonicorum speciali in sensu, & cum exclusione *matriculariorum*, seu Ecclesiæ Episcopali, e cujus proventibus viverent, adscriptorum (*not. præced.*) haud assignatum fuit, sed omnibus adhuc Clericis matriculariis commune erat.

II. Vitæ canonicæ communis Institutum.

a) Seculo VIII. Chrodegangus *Metensis* Episcopus Clericos suæ Ecclesiæ in unam societatem collegit, ut vitam communem, monasticæ non absimilem, ducerent. *o*) Seculo IX. urgente Ludovico Pio in Concilio *Aquisgranensi* institutum istud ad alias Ecclesias cathedrales extensum est. *p*)

b) Imitati exemplum postea sunt parochialium Ecclesiarum clerici, unde Capitula alia *cathedralia*, alia Ecclesiarum *collegiatarum*. *q*)

c) Sed nauseabant jam seculo X. plurimi hocce institutum, & licet postea Ivo præcipue *Carnotensis* illud de novo, adjecta etiam alicubi religiosa paupertate, restaurarit, *r*) impedire tamen non potuit, quin a seculo XIII. bonis Capituli a bonis Episcopi separatis, abjecta communi vita, separatum quoque Corpus Capitula formaverint. *s*)

o) Hanc ad rem præscripsit regulam universim XXXIV. capitibus constantem, atque S. Benedicti regulæ, quantum cum aliis Canonicorum officiis componi potuit, non absimilem, uti ex comparatione præcipuorum articulorum

lorum utriusque apud Fleury *hist eccles. lib. XXXII. §. 131. seq lib. XLIII. 263 seq. edit. germ Francoford. & Lipsiens.* clarum redditur. Et ab hoc tempore demum Clerici secundum Chrodegangi regulam viventes *Canonici specialiter* dicebantur. Du Fresne *glossar.* voce *Canonicus.* Quibus, cum in Ecclesiis majoribus mire crescerent, & Archidiaconus, aliis negotiis distentus ad eos regendos non sufficeret, præfecti sunt *Præpositi* ac *Decani* ad monasteriorum normam, in quibus sæpe plures Præpositi, & Decani suis Abbatibus, hi vero Episcopis subordinati inveniebantur. En originem præcipuarum ad nostram usque ætatem penes Ecclesias majores existentium dignitatum! Conf. Zech *Hierarch. eccles. Tit. XXX. a §. 357.*

p) Videns nempe Ludovicus Pius Chrodegangi regulam non ab omnibus æque, nec quoad omnia capita observari, monet collectos Aquisgrani an. 816. Episcopos, ut novam conficiant, secundum quam imposterum Canonici vivere obligarentur. Committitur negotium istud Amalario Diacono *Metensi*, qui paulo post 145 articulos e Patribus, Canonibus, ac inprimis ex Chrodegandi regula haustos collegit ab Episcopis postea confirmatos ac ipsius quoque Imperatoris lege accedente sancitos. Fleury *hist. eccles lib. XLVI. §. 23. seq.* ubi & argumentum regulæ istius accuratius expositum deprehenditur.

q) *Capitulum* locum designabat olim, in quem ad audiendum regulæ Benedictinæ caput Monachi quotidie confluebant; usurpata dein est vox hæc pro ipsis cœtibus ac Collegiis Canonicorum, e quibus *Capitulares dicti* sunt, qui in iis *sedis*, & *suffragii* jure gaudebant.

r) Inde Canonicorum *regularium*, & *secularium* distinctio, Num S. Augustinus Clero suo singularem præscripserit regulam, quam *Canonici regulares S Augustini* etiam nominati, sequuntur, incertum videtur pluribus. Verisimilius est nomen illud iis propterea datum, quod profitentes *paupertatem*, S. Augustini Clerum imitentur ad eandem colendam obligatum, (Conf. *Fleury hist. eccles. lib XXIV* §. 238. 239. *cit. edit.*) atque hujus consilii evangelici religiosa observantia a Chrodegangi Clero, & secundum normam Aquisgranensem viventibus Canonicis distinctum.

s) Remanentibus solummodo quibusdam veteris disciplinæ reliquiis, & indiciis, qualia sunt e. g. *annus claustralis*, seu strictæ residentiæ: Canonici *Domicellares*, quasi novitii aut juniores: Prælaturæ *Scholastici* &c., *domicilia* prope Ecclesiam ad mentem S. Petri Damiani *lib. V. epist. 9.* alias 78. in qua exemplo Levitarum in circuitu Arcæ castra metantium ostendit, Clericos prope Ecclesiam, laicis non immixtos debere habitare.

III. Capitulorum cathedralium jura. *t)*

1) Sede vacante *u)*

a) Episcopo successorem eligunt; *v)*
b) interim vero in ejus jurisdictionem succedunt, iis, quæ ordinis Episcopalis, aut Personæ ipsius propria sunt, exceptis; *x)*
c) non tamen res Ecclesiæ alienare, aut vacantis proventus sibi vendicare, vel de ejus juribus litem movere, aut prosequi possunt. *y)*

d) Capi-

d) Capitulationes vero, seu pacta circa modum regiminis episcopalis, etsi ab Innocentio XII. irritatæ, & a Leopoldo I. propter *abusus* varios reprobatæ, hodie ex usu fere omnium Ecclesiarum, & valorem retinent, & commodum ferre possunt. z)

t) Quæ hoc loco de Capituli cathedralis juribus dicuntur, sua ratione locum pleraque habent in capitulis Monasteriorum, ut suo dicetur loco.

u) Triplici modo Sedes Prælato defensore carere, ac viduari seu, quod idem est, *vacare* potest: 1) de *facto* tantum, 2) de *jure* tantum, 3) de *jure*, & *facto* simul. Vid. Zech cit. loc. §. 342. *seq. Tit. XXIX*

v) Jus istud Episcopum *privative* eligendi obtinet inprimis in *Germania*, ubi a temporibus Caroli M. leves inter vicissitudines conservatum, Imperatorum constitutionibus firmatum, ac tandem per Concordata Capitulis cathedralibus, constanter assertum est Vid. *prolegom Cap. II.* § *II n. III.* Conf. Zech cit. loc. *Tit. XVIII.* § 204 *seq.*

x) Jurisdictio Episcopalis ex decreto Concilii Tridentini Sess. 24. cap 16. de reform. per Vicarium exercenda in Germania penes ea dicasteria, quæ illam sede plena administrant, remanere consvevit. Interim per quemcunque exerceatur, restricta est adeo, ut in regimine ecclesiastico, politico, ac œconomico plurima dispositioni ejus haud subjaceant, qualia in genere sunt ea omnia, quæ singulari lege prohibentur, atque singillatim recensita videri possunt apud laudatum Zech cit. loc. *Tit. XXIX* §. 348. usque ad §. 355.

 y) Atta-

y) Attamen potest Capitulum vacante Sede contractus inire, qui ad conservanda Episcopatus jura videntur necessarii. Conf. cit. Cod. Pruss. *P. II, Tit. XI Sect. 13. § 1050.*

z) *Capitulationes ejusmodi*, *quae* ut ait Benedictus XIV. cit. loc. *lib. XIII. cap. XIII. §. 12.*, *quamvis fortasse, cum primum invectae sunt, ad publicam referrentur utilitatem; non ita multo post in eversionem juris Episcopalis deflexere:* quapropter frequentissimis R. Pontificum decretis, ac ipsius etiam Caroli V. Imp. Constitutione an. 1522. sublatae ac severe prohibitae sunt. Idem cit. loc. *§. 13. 15. seq.* Excusat easdem nihilominus Petr. Gallade *dissert.* quae exstat in *Thesaur. J. E. Tom. II. n. 17.* quod nimirum saltem vim *monitorum salutarium* habere possint. Jure nostro Capitulationes cum jam *electo* initas valere modo certis Praelati juribus non praejudicent, & fundamentalibus Ecclesiae statutis non adversentur cit. Cod. cit. loc. *Sect. 12 §. 999. 1000 1001.* asseritur: quod Innocentii XII. Constitutioni capitulationes cum *eligendo* initas irritanti consonum est, vid. cit. Benedicti XIV. loc. *§. XXI.*

2) Sede plena

a) Episcopus in rebus gravioribus ipsorum consensum, modo legitimo exquirere, *a)*
b) in levioribus vero consilium petere tenetur; ubi tamen Ecclesiarum consvetudines adtendendae. *b)*

a) Graviora negotia censentur: quae concernunt praejudicium Ecclesiae, vel Praelatorum, vel ipsius Capituli; & quae ad Praelatum atque Capitulum simul pertinent. Quae sint in specie, vid. Zech *cit. loc. §. 336.* Confer. *§. 338.* in quo de modo exqui-

exquirendi consensum agitur. *item Cod. cit. Pruss. §. 1032. seq. cit. P. Tit. Sect. 13.*

b) Levioribus caussis adnumerantur e. g. institutio Abbatum, confirmatio electionum &c.

3) Ut Corpus peculiare constituunt,

a) proprios, etiam absque Episcopo, conventus agunt, de rebus Capituli decernunt, *c*) ac *Syndico*, & *sigillo* propriis utuntur.

b) Canonicos, varia tamen in variis Ecclesiis ratione, in sua Collegia adoptant. *d*)

c) *Res Capituli* dicuntur, quæ distinctas ab Episcopo rationes, & jura Capituli concernunt; circa has determinandas Capitulum independenter ab Episcopo agit, directionem gerente Decano.

d) De requisitis ad capiendam possessionem Canonicatus vel Prælaturæ apud cathedralem Ecclesiam *Vratislaviensem* emanavit an. 1722 instructio Capituli Generalis; exstat in *Tract. juridico pract. de quibusdam Silesiæ juribus* Joan. de Friedenberg. *Tom. I. lib. I. Cap. X. pag.* 272.

IV. Munia in Ecclesiis Cathedralibus præcipua sunt

a) *Præpositi*, qui reliquos dignitate antecedit; *e*)

b) *Decani*, Capituli Capitis, quantum ad Canonicorum directionem spectat; *f*)

c) *Primicerii*, *Scholastici*, *Custodis &c.* quæ hodie in solam præeminentiam, seu ut ajunt, *Personatum* abierunt. *g*)

e) *Præpositi* in claustris Monachorum erant proximo post Abbatem loco, nonnunquam etiam in sejunctis ab Abbatia Ecclesiis; inde ad Capitula, per Chrodegangi regulam monasteriorum forma illis data, transierunt, iidemque sæpe erant cum *Archidiaconis*; postea divisa est in plures personas hæc potestas. Præpositis jurisdictione Episcopi in *Canonicos*, Archidiaconis in reliquos Diœcesis *Clericos* demandata. Jurisdictione dein spirituali in Decanos translata sola temporalis cura circa Ecclesiæ exteriora, bonorumque administrationem illis relicta est. Vid. Concil. *Colonien*. an. 1260. *cap*. 12. Hac demum etiam levati sunt ita, ut *Præpositura* jam non nisi prima post Episcopalem sit *dignitas*, titulus perpetuus, beneficium irrevocabile.

f) Uti Præpositorum ita est *Decanorum* nomen & dignitas ex Abbatiis transiit ad Ecclesias Cathedrales, & Collegiatas, quarum Capitulis præesse solent Decani ita, ut Canonici cum Decano faciant *Capitulum*, Capitulum vero cum Episcopo constituat *Ecclesiam*. Officium eorundem, atque jura antiquiora colligimus ex Concilio *Coloniensi* an. 1260. *cap* 9. vid. Zech cit. loc. §. 363. quæ, immutato etiam ab eo tempore Ecclesiarum statu nihilominus ad hodiernum morem accedunt, atque non tantum non imminuta, sed potius aucta videntur translata in eos potissima parte jurisdictionis, quam olim Præpositi, Archidiaconi, Archipresbyteri in Canonicos exercebant.

g) In *Primiceriorum* locum instituti videntur *Cantores*: quæ enim illorum erant vi *can*. *I*. §. 13. *Dist*. *XXV*. *Cap*. *un* *de offic*. *Primicerii*, olim officia, & jura, hæc jam moderno usu istis competunt. Conf. Zech cit. loc. §. 364. Rigger cit. loc. *P*. *II*. §. 275. 276. De *Scholasticis* multa sapientissime constituta sunt *Can*. 12 *Dist*. *XXXVII*.

XXXVII. Cap. 1. & 4. de Magistris, item Concil. *Trident. Sess. V. cap. 1. de reform.* sed piæ hæc desideria explentur hodie per publicas Academias, & Cleri in Seminariis Moderatores. *Custos* ex jure decretalium *cap. 1. & 2* est subordinatus *Sacristæ*, & deputatus ad custodiendas res ecclesiasticas levioris momenti; ex consvetudine autem Ecclesiarum Germaniæ Custodi, qui in Cathedralibus *Summus Custos* dicitur, incumbit suprema cura custodiendi pretiosa vasa, vestimenta, & reliquum thesaurum Ecclesiæ. Convenit igitur Custos cum *Thesaurario*, haberque subordinatos sibi alios Clericos, & laicos, quos *Vice-custodes, sacristas* aut *æditos*, dicimus. De reliquis dignitatibus, ac muniis in Ecclesiis Cathedralibus vid. Van Espen cit. loc. *P. I. Tit. XI.*

V. Obligationes Canonicorum

1) Generales:

a) *professio fidei* intra *bimestre* a die possessionis emittenda; *h*)

b) *in choro psallendum* per seipsum, non per substitutum, juxta Concilium *Tridentinum Sess. XXIV. cap. 12. de reform.* horæ canonicæ recitandæ, ac residendum in loco Canonicatus, cui obligationi varia fructuum genera respondent. *i*)

h) Jubente ita Concilio *Trident. Sess. XXV. cap. 2. de reform.*

i) Conf. Neller *dissert. de varietate residentiarum canonic.* exstat. *Thesaur. J. E. Tom. VI. n. 6.* item Anton. Schmidt *dissert. de varietate præbend. in Germ.* ibidem *Tom. III. n. 6.* Add.

decla-

declarationes ad *cap.* 12. *Seff.* *XXIV.* *Concilii Trident* ex recognitione Joannis Gallemart edit. *Colon.* an. 1726.

2) Speciales, ex ſtatutis particularium Eccleſiarum:

a) biennium ſtudio Theologiæ vel Juris Canonici in Academia tranſigendum; *k*)

b) annus *clauſtralis*, ſeu ſtrictæ reſidentiæ;

c) anni *carentiæ*, qui pro modo vario, quo fructus interim impenduntur, varia ſortiuntur nomina. *l*)

k) Supra (n III. 3. not d.) citata inſtructio Capituli Generalis *Vratislav* ſequentia circa Studiorum durationem præſcribit: *Si recipiendus in Canonicum non ſit Sileſius in Univerſitate aliqua Catholica approbata, & a Capitulo recepta, in una quatuor facultatum, nimirum Philoſophia, Medicina Theologia Jure Canonico vel Civili tribus integris, & continuis annis, ſine ulla interruptione, & extra mœnia illius loci pernoctatione, ſtudium ſuum abſolviſſe & teſtimonium Gradus Doctoratus Licentiatus, vel Magiſterii in forma illius Univerſitatis conſueta expeditum habere debet. — Patriotæ vero Sileſii triennali ſtudio opus non habent, ſed ad actualem reſidentiam cum biennali ſtudio, & gradu, aut cum triennali ſine gradu admittantur.*

l) Conf. Dürr *de annis carentiæ diſſert.* in *Theſaur. J E Tom. IV. n 5.* item Cod. cit. Pruſſ. *P. II. tit. XI. Sect. XVII* §. 1125 — 1133. De omnibus Canonicorum officiis exſtat lectu digna anonymi cujusdam Eccleſiæ *Noviomenſis* Canonici diſſertatio: *Recueil de deciſions importantes ſur les obligations de Chanoines.* an. 1746.

VI.

VI. Dotes eorum:

a) Ordo Subdiaconatus, ſaltem ut in Capitulo vocem habere queant;
b) Presbyteratus, item Doctoratus, aut Licentiatus gradus quoad dimidiam partem Canonicorum;
c) Doctrina, ac morum probitas;
d) dein Natalium, aut Nationis qualitates ab Eccleſiarum particularium ſtatutis requiſitæ. *m*)

m) Concilium *Trident.* has dotes graviſſime commendavit *Seſſ XXIV. cap. 12. de reform:* Fuſior de Canonicis notitia hauriri poteſt ex Van Espen cit. loc. *P. I tit. 7 ſeq.* Conf. Cod. cit. Pruſſ. *Sect. 13. 14. 17. cit. loc.*

VII. Capitula Cathadralia Germaniæ

a) Germanica Nobilitate refulgent, ubi nimirum determinatus Majorum numerus, aut Imperii immediata Nobilitas requiritur; *n*)
b) ſede vacante jurisdictionem territorialem, jus etiam *Auſtregarum* in hiſce negotiis exercent; *o*)
c) ad Comitia inſuper & Conventus Legatos mittunt, & ſuffragia ferunt. *p*)

n) Ratio hujus eſt, quia ex Canonicorum Germaniæ numero eliguntur Episcopi, qui S. R. I. Electorum, aut Principum dignitate gaudent.

o) Jus *Auſtregarum*, a germanico Austrag, eſt jus primæ inſtantiæ, ſeu vi cujus Status Imperii in

prima instantia coram supremis Imperii Tribunalibus conveniri nequit; perdurat ex antiqua Germanorum consvetudine, ut quilibet a Paribus suis judicaretur. Egit de jure hoc Ludolfus in *Jure Camerali pag. 33.* Statibus Germaniæ Capitulatione Imperiali *art. XVIII.* asseritur.

p) An etiam vacante sede jus suffragii in eligendo Imperatore, vel Comitia, & Collegia Principum dirigendi habeant, controvertitur.

VIII. Capitula Protestantica.

a) In mixtis numerus Canonicorum, qui anno & die normali obtinuit, retinendus. *q*)

b) Canonici Protestantici iisdem ac alii gaudent juribus, sed & iisdem salva ipsorum religione, obligationibus tenentur. *r*)

c) In mensibus Papalibus vacantes Canonicatus non a Domino territoriali, sed a Capitulis conferendi verosimilius videntur. *s*)

q) Prima dies Januarii an. 1624. *normalis* est.

r) Conf. Schenkl cit loc. § 333. *Schol* item cit. Cod. Pruss *cit. loc. Sect. XX.*

s) Dicta isthic de Ecclesiis *Cathedralibus* facile ad *Collegiatas* adtemperabis.

§. IX.

PAROCHI ET CURATI ALII.

I. Origo Parochorum seu Presbyterorum, qui minori cuidam fidelium cœtui cum subordinatione ad Episcopum præsunt *t*)

a) si

a) si rem ipsam spectemus, ad Apostolorum tempora referenda videtur; u)

b) auctus vero eorum numerus est, cum conversis sensim pluribus ad fidem populis Templa, Oratoria, Capellæ &c. in civitatibus, pagisque crebrius exstruerentur; v)

c) in Collegia dein sub *Decanis* coierunt, unde suum *Capitula ruralia* nomen derivant; x)

d) jurisdictio ipsorum *ordinaria* simul ac *vicaria*; y)

e) institutio tamen *primaria* nihilominus a Christo ipso descendere, ac in hoc sensu recte etiam *divina* dici potest. z)

t) *Parochorum* nomen apud Romanos eos denotabat, qui ligna cum sale i. e. omnia necessaria peregrinis præbebant, secundum illud Horat. *lib. I. Satyr. V.*

> Proxima Compono ponti quæ villula, tectum
> præbuit, & parochi, quæ debent, ligna salemque.

Inde fortassis apud Christianos idem nomen datum est Presbyteris, qui alimenta spiritualia fidelibus administrabant. Quid per *parochiam* antiquiores intellexerint, dictum est. *§. IV. n I. not.* 2. Conf. Zech cit. loc. *§. 374.* item *Dist. XCII. can. 5. 6.*

u) Nam 1) postulavit *necessitas*, ut fidelium multitudo, quæ nec in copiosis urbibus, multo minus in villis & pagis temporibus persequutionum in unum locum, aut ad Episcopos in solis civita-

civitatibus constitutos confluere potuit, in minores cœtus divideretur, quibus Presbyteri, aliquando his deficientibus etiam Diaconi præficiebantur. Id in urbe Hierosolimitana factum vel inde jam colligimus, quod una die tria millia Christo nomen dederint, atque *in oratione, & communicatione fractionis panis perseveraverint.* Act. *cap II.* quod sane divisis jam per orbem Apostolis, atque ea in urbe, in qua Christianorum conventus ubique insectabantur, omnesque eradicatos volebant, aut fieri non potuit, aut, cum factum negari nequeat, nonnisi admisso Parochorum ministerio explicari poterit. 2) Testantur id gravissima antiquitatis *documenta:* ita S. Cyprianus inscribit *epist. 67 Felici Presbytero, Lælio Diacono,* ac *populis eorum curæ commissis;* de *Diacono* plebem regente loquitur Concilium *Illiberitan,* an. 313. *c.* 77. de *Presbyteris ruris* Concilium *Neocæsareense* an. 314. *c. 13.* sed. vid. plura apud Auctorem *bonæ causæ Clericorum* &c. de an. 1768. *Sect I.*

v) Quod seculo IV. præcipue contigisse novimus data per Constantinum Imp. Ecclesiæ pace; ab hoc tempore in majoribus civitatibus duplicis generis cæperunt esse Ecclesiæ, *majores*, in quibus erant Episcoporum Cathedræ, *minores* seu tituli Presbyterorum, quibus accessere postea *rurales* in pagis constitutæ. Thomassin. cit. loc. *P. I. lib. II. cap. 21. 22. Novel.* Justiniani Imp. *III. cap. 1.* Epiphan. *hæres. 69.*

x) Differunt hæc Capitula *ruralia* a Capitulis Canonicorum *collegiatorum* in eo inprimis: quod hæc e Clericis pluribus uni Ecclesiæ *civitatensi*, ut ajunt, adscriptis componantur, atque originem suam a sec. IX. Concilio *Aquisgranensi* repetant; *§. præced. n. II. lib. b. c.* illa vero complexum unius circuli Parochorum plerumque *ruralium*, aut etiam eorum, qui in oppidis animarum cu-

ræ destinati sunt, denotent, quibus Decanus ruralis seu *Archipresbyter* præest. Conf. *§. VII n. IV 4 not i*)

y) Ideo *ordinaria*, quia ceu veri Pastores salva Episcoporum auctoritate ex officio gregis sui curam gerunt; *vicaria* vero, quia siquidem Episcopus solus posset, & vellet, per se ipsum exclusis Parochis universum gregem pascendi, & omnia Parochorum munia peragendi jus habet, hique solum in partem sollicitudinis vocati Episcopi vices gerunt.

z) Discipulorum enim septuaginta duorum typum gerunt Parochi, atque in eorum locum sunt constituti in Ecclesia. *Dist. XXI. can.* 2. atqui Discipulorum institutio *divina* est. Luc. X. 1. ergo & Parochorum. Hæc est Theologorum Parisiensium sententia plurimis SS. Patrum testimoniis roborata. Vid. Gerson. *tract. de potestate eccles. considerat.* 12 item *tract. de Statibus Ecclesiæ §. de statu Curatorum.* Conf. Ludov. Habert *Theol. dogmat Tom. VII. de Hierarchia Cap. VI. q.* 2. Nec juvat opponere: 1) Parochias, ut hodie sunt, templa quoque parochialia serius esse orta; 2) illum dare potestatem, qui populum & districtum designat. Nam non Ecclesia particularis ad essentiam Parochi requiritur, sed ut ex officio populum doceat, regat; designato populo & districtu objectum tantum ponitur, circa quod Parochi potestas versetur, certique constituuntur limites, intra quos se contineat. Nec *Diœceses* quidem, quales jam nunc sunt, prima Ecclesiæ ætate fuisse, ipsam quoque Episcopalem potestatem legitima solummodo confirmatione, ac consecratione acquiri novimus: an vero eapropter divinam esse Episcopalem institutionem inficiari quispiam audeat?

II. Officia Parochorum.

a) Oves suas agnoscere, ac juventutem inprimis publice & privatim instruere, scholisque invigilare pro viribus studeant; *a*)
b) in prædicando Verbo divino, sacramentisque administrandis assidui existant; b)
c) diebus saltem dominicis ac festivis pro grege suo sacrificium offerant; c)
d) curam paternam pauperum, ac miserabilium personarum gerant; *d*)
e) atque hæc aliaque his connexa per semetipsos, quantum fieri potest, impleant; *e*)
f) si tamen *subsidiarios* habere necesse sit, & ipsis invigilare, eorum honori consulere, ac præcavere de cetero tenentur, ne oves suæ detrimentum capiant. *f*)

a) Concil. *Trident. Sess. XXIII. cap. 1. XXIV. cap. 4. de reform.* ubi instructio *catechetica* in singulis Parochiis diebus dominicis, & festis non tantum cum parvulis, sed & cum adultis instituenda præcipitur.

b) Concil. *Trident. ibidem, & Sess. V. cap. 2. de reform.*

c) Concil. *Trident. Sess. XXIII. cap. 1. de reform.* quam obligationem post plures sacrarum Congregationum declarationes ita explicat Benedictus XIV. ut Parochi, vel Vicarii perpetui, aut temporales applicare debeant Missam parochialem pro populo diebus dominicis, & festis, in quibus est obligatio audiendi Missam. Vid. Bullarium Benedicti XIV. *P. I. Constit* 103.

d) Concil. *Trident. cit. loc.* Add. Oberhauser *Specimen cultioris Jurispr. eccles. Cap. V. §. 5.* ubi

ubi illustria plane enarrat exempla, quibus ad implendum istud officium Parochi moveantur.

e) Præcipit istud Concilium *Trident. cit. locis* eo gravius, quo certius *ordinarie* plus utilitatis sperari potest, siquidem Parochus per semetipsum officiis hisce satisfecerit. Vid. Van Espen cit. loc. *P I Tit. III cap 5*. Nec obstat regula juris 68 in 6. *potest quis per alium, quod potest facere per seipsum:* hæc enim tam universalis haud est, ut etiam ad ea negotia pertineat, in quibus *personæ industria singulariter est electa. Cap. 43. de offic. jud delegati. Cap. 12. de eodem in 6.* Conf. Math. X 1—13.

f) Concil. *Trident. Sess XXI cap. 4 de reform.*

III Dotes ad hæc officia explenda necessariæ sunt

a) ætas illa ad Sacerdotium requisita; *g*)
b) doctrina tanto muneri sufficiens; *h*)
c) morum honestas, vita, famaque immaculata; *i*)
d) professio fidei intra bimestre a suscepta Parochia emittenda; *k*)
e) perpetua in loco Parochiæ residentia; ut ipsis ultra bimestre sine gravi caussa abesse ab Episcopo non concedatur. *l*)

g) Sacerdotium vigesimum quartum ætatis annum completum exposcit. *Trident. Sess. XXIII. cap. 12.* ejusdem ætatis debere esse illum, cui Parochia confertur, idem Concilium *Sess XXIV. cap. 12. de reform.* decrevit; cui decreto consonat declaratio Congregat. Concil. Interpret. an. 1601. 12. Febr.

h) *Cap. 3. de instit. Trident. Sess. VII. cap. 13. de reform.* Inde vero est, quod cura Seminariorum, in quibus Clerici ad animarum salutem promovendam educarentur, omni ætate, ac præcipue in Concilio *Trident. Sess. XXIII. cap. 18* impensissime commendata sit Episcopis; ut ibidem nimirum, juxta Concilii *Cabillon II. c. 3. & litteræ, & solertia disciplinæ, & sacræ scripturæ documenta discantur, atque erudiantur tales, quibus merito dicatur a Domino: vos estis sal terræ.*

i) *Vehementer enim Ecclesiam Christi destruit meliores laicos esse, quam Clericos.* Caus. VIII. *c. 21 q. 1.* Conf. *Trident. Sess. XXV. cap. 14. de reform.*

k) *Trident. Sess. XXIV. cap. 12. de reform.*

l) Idem *Sess. XXIII. cap 1. de reform.* De reliquis Parochorum dotibus agitur passim in Theologia Pastorali, qualem edidere e. g. Pittroff. Seiler. Güftschütz, & alii. Quoad Silesiam Sanctione Pragmat. Episcopali de an. 1699. 26. Octob. §. 7. *cum illos &c.* singulariter cautum est: *ne ullus Sacellanorum ad Parochiam canonice instituatur, nisi prius, excepto ubi aliud graves rationes, & circumstantiæ suaserint, per biennium, vel aliquot annos assiduitatem, & capacitatem suam in vinea Domini excolenda luculenter, cum exhibitione testimonii vitæ, & conversationis probaverit.*

IV. Jura eorumdem.

a) Omnia, confirmatione, & ordine exceptis, Sacramenta administrant; *m*)

b) festos dies, jejunia, indulgentias &c. denuntiant; *n*)

c) bap-

c) baptizatorum, nubentium, defunctorum cathalogos, qui fidem publicam habent, conficiunt; *o*)

d) decimas, aut congruam, item jura stolæ, absque omni tamen severitate, aut avaritiæ suspicione, exigunt; *p*)

e) jurisdictio tamen ipsorum forum *internum* non excedit. *q*)

m) Confirmationis, ac Ordinis sacramenta conferre Episcoporum est: reliqua olim a Parochis administrabantur; postea vero cum facultate prædicandi verbum divinum sacramentum quoque pœnitentiæ administrandi potestas Regularibus etiam concessa est, Baptismi, Viatici, extremæ unctionis, Sacramenti Matrimonii administratione, iisque omnibus, quæ administrationi huic arctius adhærent, Parochis relictis. Vid. Jos. Vicecomes *de rit. Baptismi lib. I. cap. 3.* Concil. *Trident. Sess. XXIV. cap. 13. de reform.* Clement. I. *de privileg* Catechismus Roman. *P. II. de Sacram extrem unct §. 21.*

n) Barbosa *de offic. & potest: Parochi P. II.* Wiestner *J. E. tit de Parochis art. 2.*

o) Qua ratione Cathalogi hi confici, quid in iisdem præcipue exprimi debeat: docet cit. Cod. Pruss. *P. II. Tit. XI. Sect. VI. §. 481.* usque ad *§. 503.*

p) De decimis, aliisque præstationibus suo loco agetur. Quod *jura stolæ* adtinet: hæc a Simoniæ labe immunia vix esse asserebant quidam de sanctitate Cleri religiosius, ac de sua solliciti. Sed enim salva res est, siquidem qua lege jura stolæ præstentur viderimus. Nempe ubi Ecclesiæ bona ad alendos congrue Ministros non sufficiunt, membrorum ejusdem est aliunde providere; cit. Cod. *cit. P. & Tit. Sect. IV. §. 164.*

464. Satisfaciebant olim Christiani huic officio per oblationes spontaneas, quæ postea in necessitatem tractæ, consvetudinis nomine defensæ, ac Principum in religionis integritate præcipuum salutis publicæ fulcrum spectantium legibus firmatæ sunt; ibidem *Sect. VI. §. 423 seq.* eodem ergo fere titulo, quo ad sustentandos pro dignitate Reipublicæ Ministros subditi e rebus suis conferunt, jura quoque stolæ exsolvunt; quod eo minus simoniacum dici poterit, quo apertius est: non pro functionibus ipsis spiritualibus, sed occasione earumdem præstationes has fieri. Ceterum nimium rigorem in iisdem exigendis præcipue relate ad pauperes adhibendum non esse a Parochis, rectissime monet Clemens XIV. *in Bulla ad Episcopos Sardiniæ.*

q) Inde vero patet ratio, cur *Cap. 2 & 3 de Parochis; Cap. 12. de pœnit. & remiss. Can. 1. Caus. XIII q 1 Can. 6. Distinct LXXI* plura Parochis denegentur jura. Subjungendæ hic de singularibus quibusdam Parochorum classibus notiones: sunt enim quidam Parochi *primitivi* seu habituales, ad quos reditus & jura Parochiæ tantum temporalia — alii *principales*, & actuales quidem sed non residentes, ad quos præter temporalia, etiam spiritualia jura pertinent. Conveniunt hæc nomina Rectoribus Collegiorum, aut Monasteriorum, quibus Ecclesiæ parochiales unitæ seu incorporatæ sunt, ac proin pro unitionis vario gradu, ex *chartis incorporationis* desumendo, alterutro illi nomine compellantur. Alia, quæ ex lege civili nostra Parochis competunt, jura ac officia vid: cit. Cod. P. II. Tit. XI. sect. V. usque ad XI.

V. Pa-

V. Parochorum Vicarii, ac Curati reliqui

a) eadem fere munia ac officia cum Parochis habent;

b) si Vicarii perpetui sint, iisdem & juribus saltem spiritualibus gaudent, ac jure tituloque Beneficii fruuntur, nec absque caussa canonica amoveri queunt;

c) ab his tamen Cooperatores, Capellani &c. distinguantur oportet, a nutu Parochorum unice in quibusdam locis dependentes, quibus proin nulla jura his invitis competunt. *r*)

r) Vi Sanctionis pragmat. Episcopalis Nissæ 26. Octob. an 1699. datæ *ʃ. II. & V.* in Diœcesi nostra Parochus auctoritate sua Capellanum nec sibi dare nec removere audet.

§. X.

CLERUS ET PRAELATI REGULARES. *s*)

I. Regularium Origo, et Progressus.

a) Jam a primis Ecclesiæ seculis Ascetæ occurrunt, sanctioris vitæ proposito a reliquis fidelibus distincti, *t*) occasione Decianæ persequutionis aucti, & a solitaria vita *Monachi* appellati; *u*)

b) seculo IV. duce Pachomio in cætus collecti, dictique *Cœnobitæ*, dein agente Basilio M., in ipsas urbes accersiti; *v*)

c) ſeculo VI. S. Benedicti Regula per totum fere Occidentem diffuſa ingentem certe, fatentibus ipſis Acatholicis, Reipublicæ etiam civili, ſicut & rei litterariæ præſtitit utilitatem; x)

d) variis dein ex hac ipſa regula ortis Congregationibus y) nova etiam a ſeculo XI. acceſſere *Carthuſianorum* ac *Præmonſtratenſium* inſtituta: z) poſtmodum occaſione Cruciatarum *Ordines* etiam *equeſtres* invaluerunt; a)

e) a ſeculo XIII. autem *Ordinum mendicantium* inſtitutione, reformatione, & immutatione regularium Ordinum numerus increvit adeo, ut hodie jam nullus absque Pontificis confirmatione admittatur. b)

s) *Regulares* dicimus illos fideles, qui editis perpetuæ *obedientiæ*, *paupertatis*, & *caſtitatis* votis ſecundum regulam ab Eccleſia approbatam ſub regimine eccleſiaſtico particulari ad perfectionem Chriſtianam tendere obligantur. Conf Fleury *inſtit. J. E. P. I. cap. XXI. ſ. I, not. c.*

t) Qui tamen rarius adhuc ſeſe in ſylvas abdiderunt, quin potius inter homines viventes ſine voto vitam philoſophicam amplexi ſunt, teſtibus Tertulliano *lib. II. de cult fæmin. cap. 9.* & Origine *advers. Celſum lib. V. pag. 264.* Non deerant tamen, qui, ſeu ut asceſim eo liberius colerent, ſeu etiam ex temperamento ad ſolitudinem proclivi asceticæ vitæ ſolitariam adjunxere, ut exemplum Narcisſi docet apud Euſebium *lib. VI. hiſt. eccles. cap. 9.*

u) Sic Paulus perſequutionem Decii fugiens, adoleſcens confugit in deſertum Thebaidos, ibique manſit

mansit usque ad an. 113. ætatis suæ. Cassian. *instit. lib II. cap. 5.* Hunc sequuti sunt alii, quorum maximum numerum Antonius collegit, quem adeo primum fuisse tradunt, qui discipulis communem vivendi morem in desertis inculcavit, atque ad Essæorum instituta quodammodo composuit. Fleury *hist. eccles. lib. IX. §. 193:* collat. ad *§. 17. seq. Introduct. hist. eccles. Sect. I.*

v) Pachomii vitam, regulam, monasteria, discipulos refert Fleury cit. loc. *lib. X. §. 265. 266.* & *lib. XV. §. 199. seq* edit. germ. Francoford: in 4. De Basilio loquitur S. Gregorius Nazianzenus *Orat. 20. in laud. Basilii* his verbis: *Cum solitaria vita, & ea, quæ societate gaudet, ut plurimum inter se dissiderent, ac pugnarent, neutraque omnino vel commoda vel incommoda sua pura & impermixta haberet — præclare eas inter se reconciliavit, ac permiscuit.* Qua vero occasione, quibusque legibus datis id perfecerit: vid. Fleury cit. loc. *lib. XVII. §. 286.* de variis autem ab hoc jam tempore Monachorum generibus Zech cit. loc. *tit. XXXIII. §. 413 414.*

x) Vita cænobitica studiis S. Athanasii inprimis, ac Hieronymi in Occidentem quoque propagata, (vid. Zech cit. loc. *§. 408. seq*) quia certa, & constanti regula caruit, arbitrio Abbatum multum relaxata fuit; ne igitur penitus dissolveretur, S. Benedictus circa an. 530. novam regulam scripsit *discretione præcipuam, sermone luculentam,* ut ait S. Gregorius *Dialog. lib. II. cap. 36.* quam qui sequebantur, *Benedictinorum* appellationem obtinuerunt, atque tanta in æstimatione fuerunt, ut reliquis ad institutum eorum cum Conciliorum decretis, tum Regum Capitularibus accedere jussis, (vid. Zech cit. loc. *§. 417. not. 90.*) a seculo VIII. pene soli per

totius Occidentis Monasteria invenirentur. Præcipua S. Benedicti regulæ capita vid. in Fleury *hist. eccles. lib. XXXII. §. 131 seq* De Benedictinorum aliorumque Monachorum in Ecclesiam, & Rempublicam meritis egit ex Acatholicis inter ceteros Aikin *dissert. ex angl. in germ versa:* Haben die Klöster auch ihren Nutzen?

y) Circa finem seculi IX. & initium X. ex irruptionibus Barbarorum, aliisque caussis virtus monastica gravissimam jacturam passa est. Fleury *inst. J. E. P. I. Cap XXI. §. 10.* item Concil. *Troslejan.* an. 909 *cap. 3* apud Harduin. *tom. VI. P. I. cap. 3 col. 510.* Ad eam reparandam munificentia, & pietate Wilhelmi Aquitaniæ Ducis monasterium *Cluniacense* in Burgundia an. 910. fundatum est, ejusque regimen Bernoni Abbati *Belmensi* concreditum. Is reformationem novam aggressus puriorem S. Benedicti regulam, paululum immutatam fundamenti loco posuit. Ejus successor S. Oddo rem plene perfecit, cujus præsertim opera ad duo millia cœnobiorum restituta scribuntur. Abhinc nomen *Ordinis Cluniacensis* innotuit. Verum quo latius Ordo hic propagatus est, eo magis alumni ejusdem a pristino fervore recedere visi sunt, Fleury cit. loc. *§. XII.* Unde alii Viri sancti non tantum antiquum regulæ Benedictinæ rigorem restituerunt, sed novis etiam additis legibus munierunt; inter hos eminent Romualdus *Camaldulensium*, Gualbertus *Vallis Umbrosæ* Robertus, ac Bernardus *Cisterciensium* ordinis seculo XI. auctores. Conf. Fleury cit. loc. *§. XIII.* Tamburin; *de jurib. Abbat. tom. II. disp. 24. q. 5. n. 15. 20.*

z) Hactenus relati Ordines S. Benedicti Regulam, quoad pauca solummodo capita immutatam, sequebantur; alii propriis plerumque, aut saltem

a Be

a Benedictina diversis Constitutionibus regebantur Tales sunt 1) *Carthusiani* a Brunone Sec XI. instituti. Conf. Fleury *hist eccles. lib.* LXIII §. 50 *seq.* 2) *Canonici regulares S. Augustini* ad vitæ communionem, quæ quondam inter omnes Canonicos vigebat (§. præced. VIII. n. II. lit. a. not r.) porro retinendam Conciliorum Romæ sub Nicolao II. & Alexandro II. seculo XI habitorum decretis vocati, atque secundum Chrodegangi regulam viventes, cui ex S. Augustini instituto (§. eod. n. I. not. n.) paupertatis lex, aliaque, ut ipsi volunt, plura ex ejusdem ad Sanctimoniales regula, quæ habetur in S. August *epist.* 211. adjecta sunt 3) *Præmonstratenses* auctore S. Norberto an. 1116. *Præmonstrati* monasterii in diœcesi Laudanensi fundatore, eidem, ut Canonici regulares S. Augustini regulæ subjecti, at tum habitu, tum novis quibusdam legibus ab illis distincti Fleury *inst. J. E. cit loc.* §. 3.

a) Celeberrimus erat quondam Ordo militum templi seu *templariorum* ab Hugone de Paganis, & Gaufrido de S Audemaro an. 1118. conditus, in Concilio *Viennensi* an. 1312. a Clemente V. Pontifice urgente Philippo Pulchro Galliæ Rege prorsus exstinctus. Supersunt adhucdum duo præcipui, *Equitum* nimirum, *hospitalariorum S. Joannis* & *teutonicorum S. Mariæ*. Omnium trium originem distincte refert Wilhelmus Tyrius *de bello sacr. lib. XII. cap* 7. & *lib. XVIII. cap.* 5. De ceteris eorundem fatis egit Paul a Rigger *dissert.* singulari *Oeniponti* an. 1744. Ceterum idem ardor rei christianæ inserviendi in Occidente quoque plures ordines ad formam trium prædictorum, præcipue in Hispania produxit, quos recenset Aubert. Miræus in *orig. equest. ord lib. I. cap. VI. seq.* Andr. Mendo *de ord. militar.* Conf. Fleury *cit. loc.* §. 5.

b) *Ordinum mendicantium* celebriores sunt 1) *Dominicanorum*, 2) *Fratrum minorum*, 3) *Carmelitarum*, 4) *Eremitarum S. Augustini*, quorum omnium origo ad sec. XIII. referenda est. His jam in cætus plures divisis accesserunt seculo XVI. *congregationes* novæ *Clericorum regularium*, *Theatinorum*, item *Societatis Jesu*, aliæque. Vid. Theodor. Ruprecht *not. histor. in univ. jus. can. ad lib. III. tit. XXXI. §. 1 & 2.* Conf. Fleury cit. loc. *P. I. cap. XXII.* Paul a Rigger cit. loc. *P. II. Tit. XXXI. usque ad XXXV. pag 386 seq.* De orig. Virginum ecclesiasticarum, quæ *moniales* postea dictæ, vid. idem *eod. loc. §. 530.* Fratrum *conversorum*, Zech *cit. loc. § 420.* de qualitatibus olim in Monachis requisitis Fleury *cit. loc. §. 7.* Paul de Rigger *cit. loc. §. 550.*

II. Regularium Obligationes.

a) In genere omnes exacto integro & continuo probationis anno præstitis obedientiæ, castitatis, ac paupertatis votis obligantur; *c*)

b) pro Ordinum tamen varietate ad diversam quoad modum tenentur disciplinam; *d*)

c) vi *Tridentini* ad Professionem annus decimus sextus sufficit, etsi alicubi a Principibus ætas magis adulta exigatur; *e*)

d) quodsi quis professionis suæ firmitatem impugnare conetur, non nisi intra *quinquennium* a die professionis vi *Tridentini* audiatur, & tum solum, si rationes suas coram *Superiore suo*, & *Ordinario* deduxerit; *f*)

e) porro

e) porro, siquidem obligationibus suis satisfaciant Religiosi, non innoxios solum, sed & utilissimos, & ecclesiasticis etiam muneribus aptissimos esse usus, & experientia docet. *g)*

c) Id ex data *n. præced. I. not. s.* Religiosi notione sequenti ratione deducimus: Regularis profitetur studium perfectionis Christianæ acquirendæ: hæc vero non præceptorum tantum, sed etiam Consiliorum observatione absolvitur, juxta illud Math. *XIX. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, — — si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes — — & veni, sequere me*; tria autem præ reliquis ad hunc finem aptissima sunt Evangelii consilia a Christo proposita, nempe *perpetuæ castitatis* Math. *XIX* 11. 12. *paupertatis ibid.* 21. & Luc *XIV* 33, *obedientiæ* Luc. *IX.* 23. igitur ad eorum observantiam Religiosus omnino obligatus est. Ne vero a perfectionis semita recedere unquam audeat, firma sit, oportet, satis hæc obligatio: talis per solum propositum hominis, aliunde inconstantis, non efficitur, nec per extrinsecam potestatem, cum Consilia non cadant sub præceptum; ergo voto firmari debet tali, quod Religiosum in statu immutabili constituat, atque ab Ecclesia acceptatum pro utroque foro tam interno, quam externo obligationem producat. Votum tale *solenne* dicitur, gravissimosque post se effectus trahit: quibus ferendis num Candidatus par futurus sit, *Magister novitiorum* tempore probationis diligenter examinare debet. Quam diu tempus probationis, seu *Novitiatus* durare debeat vid. in Concil. *Trident. Sess. XXV. cap* 15. *de regular.* Conf. Riegger. cit. loc. *P. III. §.* 564 *seq.*

d) De accidentali hac Ordinum religiosorum differentia egit integro tit. XXXV. cit. loc. Zech.

e) Conf.

e) Conf. Concil. *Trident. Sess. XXV. cap. 15. de regular.* item cit. Cod. Pruss. *cit. P. Tit. Sect. XVIII. §. 1162.*

f) Decretum Concilii *Tridentini* hac de re editum est *Sess. XXV. cap. 19. de regular.* Conf. Fagnan: ad *cap. 1. de his, quæ vi, & met* Cardinal. de Luca *discurs. 41 de regular.* Certum ordinem pro causis super nullitate professionis regularis mature discutiendis, & valide definiendis præscribit Benedict. *XIV.* in constit. *Si datam.* Plura de Regular. obligat. vid. in Concil. *Trident. Sess. XXV. de regular.*

g) Maur. Schenkl cit. loc. *§. 318. not.* Conf. *annot. ad §. 136. lib XXXII. hist. eccles* Fleury edit. germ. Francoford. *Tom. V.* item ejusd. *Inst. J E. cap. XXV. §. 7.*

III. Exemtiones.

a) Cum a seculo VI. Monachorum solitudo turbaretur, hi quieti suæ consulturi sæpius petitam a *Lege diœcesana* immunitatem ab ipsis Episcopis impetrabant; *h)*

b) a seculo XI. vero ad XIV. usque exemtiones ab omni Episcoporum spirituali potestate invaluere, quæ tempore schismatis *Avenionensis* majora capiebant incrementa; *i)*

c) actum deinceps de iis revocandis in Concilio *Constantiensi*, sed irrito successu, donec in Synodo *Tridentina Sess.* præcipue *XXV.* ad æquam satis redactæ sint moderationem; *k)*

d) illud certe optimum, si fixis *per Pacta* Episcopum inter & Monasteria exemtionis

nis & jurisdictionis limitibus quies ac tranquillitas restituatur. l)

h) Sicut ab initio Monachi fere omnes fuere laici, teste Thomassin. cit. loc. *P. I. lib. II. cap 40, 41.* ac ceterorum more in Ecclesiis parochialibus offerebant, *can. 6. caus. XVI. q. 1.* imo Justiniani adhuc ævo a Clericis distinguebantur *lib. L. II. Cod. de Episc. & Cler.* ita quoque, ut ceteri fideles, Episcopo paruerunt. Thomassin. cit. loc. *P. I. lib. I. cap. 48. P. II. lib. I. cap. 38. seq.* A seculo VI. immunitates quasdam, & privilegia indulta monachis reperimus, quæ refert Gratianus *Caus. XVIII. q. II.* At eorum aliqua supposititia sunt: in ceteris vero nihil aliud impertitum deprehenditur, atque libera Abbatis electio, & immunitas a certis oneribus realibus, quæque Monachorum quietem turbabant: salva interim canonica Episcoporum in Monachos & Abbates jurisdictione. Posthæc multi Episcopi, Monachorum pietate tacti vel ipsi eadem indulserunt, vel ut Romæ exemtionem impetrarent, auctores fuere. vid. *præceptum* Pipini apud Baronium *ad an. 755. n 29.*

i) Caussæ frequentium adeo exemtionum erant 1) Episcoporum incuria, qui aut Principum aulas, aut castra sequuti de spirituali Regularium gubernatione parum solliciti fuere. 2) Vexationes, quas ab iisdem non raro Religiosi passi sunt. Vitiis immersi Episcopi, clerusque secularis existimationem eam, quam Regulares sanctiore vita apud populum sibi comparaverant, ægre admodum ferebant; quapropter incrementis eorundem impedimenta struere, bona Monasteriorum in luxus proprii nutrimentum convertere, quorumque virtutem imitari arduum videbatur, disciplinam saltem perturbare quavis occasione data attentarunt. Conf. *Epitom. hist: eccles. Period, IV. P. II. cap. I. n. III, §. 13.* 3) Pontificum

cum Romanorum, quorum plures ex humili Religiosorum statu ad supremam Primatus Ecclesiæ dignitatem evecti, singularia Ordinum Regularium in Ecclesiam, ac Sedem Roman. merita noverunt, aut studia non vane sperabant benevolus in eosdem animus. Conf. Thomassin. cit. loc. *Tom. I. lib. III. cap. 29.*

k) Gravissima exemtionum incommoda graphice describit S. Bernardus *tract. de morib. & offic. Episcop. cap. 9.* S. Francisco etiam *minime gratum fuisse, ut Monachi ab Episcopali obedientia hujusmodi privilegiis se subtraherent* testatur Eminentissimus Baronius *ad an. 676. n. 5.* Sed hæc Fundatorum placita filiis non placebant: quapropter plura Concilia sollicitam operam impenderunt, ut mutuis Episcoporum, & Exemtorum querelis finem imponerent. Vid. P. Oberhauser *cit. lib. cap. IV. §. 6.* In Concilio *Constantiensi* demum abrogata sunt omnia privilegia tempore schismatis obtenta; verum quia excipiebantur 1) quæ in ipsa fundatione fuissent concessa: 2) quæ data fuissent assensu eorum, quorum intererat (Thomassin. cit. loc. *P. I. lib. III. cap. 39. §. 4.*) abrogatio hæcce optato effectu caruit. Perdurarunt igitur exemtionum incommoda usque ad Concilii *Tridentini* tempora, in quo jam serius, ac efficacius de revocandis, moderandisque exemtionibus actum est. Germaniæ quidem Episcopi, Principesque exemtiones omnes tollendas esse censuerunt, ut ex *art. IV.* ab eis Synodo *tridentinæ de reformatione* oblato constat: sed *intererant*, ut scribit Cl. Barthel in *annot. ad Jur. Can. lib. I. tit. 29.*, *Abbates & Generales Ordinum, qui suis insititerunt privilegiis, utpote, quæ non gratuita, sed remuneratoria affirmabant. Quia tamen ipsi agnoverunt Ecclesiæ disciplinam sic non posse ob sæcularium exemtiones subsistere, in pluribus casibus delegata est ipso jure Episcopis jurisdictio*, quæ majora

jora postea ex variis Pontificum Bullis incrementa obtinuit. Vid. Pehem *cit. loc.* § 591. *seq.* Oberhauser *cit. loc. pag* 316 ubi singillatim recensentur casus, in quibus Regulares Episcoporum potestati subduntur. *Apologiam* exemtionum in se suscepit Pallavicini *hist. Concilii Trident. lib XII. cap. XIII §. 8.*

l) Egregium hujusmodi pacti exemplum habemus in Silesia primum ab an. 1666. quo inter quatuor Cisterciensium Abbates, *Lubensem* nempe *Grissoviensem*, *Camencensem*, ac *Raudensem*, & Episcopum *Wratislaviensem*, postea ab an. 1677 quo inter universum Cisterciensium Ordinem in diœcesi Wratislaviensi, & Episcopum Fridericum controversia circa visitandas ecclesias parochiales horum Religiosorum, & puniendos earum administratores, aliaque exemtionum capita ita composita est: ut relicto Abbatibus jure puniendi expositos, siquidem ratione suæ concreditæ Ecclesiæ parochialis qualitercunque delinquerent, Episcopus facultatem retinuerit Ecclesias parochiales, dictis Abbatibus subjectas, sive per se, sive per Vicarium visitandi. *Concord: inter Wratislaviens: Episcop & quatuor Abbates Ord. Cisterc: in Siles. de dato Wratislav. an. 1666 in Cod. Siles.* item *instr: transactionis cum Ord. Cisterc. ab anno 1677. Wratislav:*

IV. Abbatum Prærogativæ, & Jura.

a) Præcipuus ab antiquissimis temporibus Abbatibus honor habitus est, & tributa sæpe in Conciliis *suffragii decisivi* potestas; m)

b) Seculo XI. *Pontificalibus* etiam ornati *n*) in suos jurisdictionem *quasi episcopalem* exercent; *o*)

c) casus sibi quosdam *reservare*, quos tamen Clemens VIII. adundecim restrinxit, *p*) ac cum subditis in casibus quibusdam *dispensare* queunt; *q*)

d) subditis propriis ac professis *Ordines minores* conferunt, *r*) vestes, vasaque sacra *benedicunt*; *s*)

e) quidam eorum privilegio, aut præscriptione saltem immemoriali in *Clerum* & *populum* jurisdictionem *quasi episcopalem* sunt consequuti; *t*)

f) tandem in Germania plures *immediati* sunt *Imperii status*, voto in Comitiis, & singularibus quandoque officiorum palatinorum honoribus eminent, ac ante S. R I. Comites *Proedriam* faventibus Imperii legibus tenent. *u*)

m) Vid. *cap. II. præcognit. §. I. n. III. 1. not. l*) item *P. I. cap. I. § II. n III. not. y*) Adde: in Concilio jam *Constantinopolitano* an. 448 sub Flaviano celebrato 23. *Archimandritas* judicio 30 Episcoporum contra Eutichen calculum addidisse.

n) Primus *mitræ pontificalis* usum ab Alexandro III. obtinuit Egelsinus Abbas monasterii S. Augustini prope Cantuariam: dein vero is in jus ferme commune Abbatum evasit, adeo, ut conquesti sint Episcopi, quod in Synodis nulla amplius inter Episcopos & Abbates mitra gaudentes esset distinctio. Quare ex decreto Clementis IV. usus mitræ in conciliis ita determina-

minatus fuit, ut *exemti mitras auriphrygiatas, sed sine gemmis laminisque aureis vel argenteis: non exemti vero simplices albas, & planas portarent.* Van Espen cit. loc. *P. I. tit. XXXI. cap 6.*

o) *Cap. 7. de offic. jud. ordinar.* & *cap. 2. de sent. excommunicat:*

p) In bulla, quæ incipit: *Ad futuram rei memoriam.* Conf. Pichler. *J. Can. lib. I. Tit. XXXI. §. III. n. 21.*

q) Quæ tamen dispensandi facultas ad *substantialia* regularis vitæ non extenditur. *Si enim illæ quæ bases sunt,* ait Concil. *Trident. Sess. XXV. cap. I. de Regular:*) *& fundamenta totius regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium, necesse est.*

r) Concil. *Trident. Sess. XXIII. cap. X. de reform.* Conf. declarat: capiti huic annexæ.

s) In quibus nimirum chrisma, aut unctio non intercedit: ea interveniente, non nisi ad suas ecclesias. *Decret: S. Congregat: rituum* sub Alexandro VII. de die 27 Sept. 1659. nisi specialis a Pontifice facultas accedat. Vid. Zech *cit. loc. §. 468 not. 21.*

t) Etiam *præscriptione* 40. annorum titulo colorato munita jurisdictionem hanc quasi episcopalem acquiri posse putabant multi secundum *cap. 15. de præscript.* At in celebri controversia, quæ Episcopum *Herbipolensem* & Abbatem *Fuldensem* diu multumque inter se commisit, an. 1721 leviuscula hæc præscriptio a Congregatione Cardinalium ut insufficiens declarata fuit. Vid. Bulla Benedicti XIV. *infallibili.*

u) Schenkl cit. loc. §. 322. not. 2. Zech §. 469.

V. Prælatorum Regularium Officia.

a) Conſtanter in Monaſteriis, quantum fieri poteſt, reſideant, & non ſolum per Decanos aut Priores, ſed per ſeipſos maxime regularem diſciplinam inter ſuos verbo & exemplo promoveant;

b) Bona Monaſterii per ſe & ſelectos prudenter Oeconomos adminiſtrent, ac ſubditis de honeſto victu & veſtitu provideant;

c) ſtudia bonarum Artium, & Scientiarum mediis optimis provehant;

d) conſilium & conſenſum aliquando Seniorum Conventus, aliquando Capitularium omnium, ad Juris & Statutorum normam, exquirant. *v*)

v) Peraccommode Prælatorum Regularium officia, mores, ac dotes depingit libellus ſupplex a Monachis Fuldenſibus Carolo M. contra Abbatem ſuum porrectus: „*Optabamus veritatem, & concordiam cum Abbate noſtro habere, ſicut cum anterioribus Abbatibus noſtris habuimus: & miſericordiam, & familiaritatem, pietatem & modeſtiam in illo ſentire: ut eſſet benignus infirmis, propitius delinquentibus, affabilis fratribus, mæſtorum conſolator, laborantium adjutor, benevolorum auxillator, bene certantium hortator, laſſorum refocillator, cedentium ſuſtentator, cadentium reſtaurator: omnes fratres amaret, nullum odiret, nullum zeli vel livoris dolo perſequeretur: fieretque non turbulentus vultu, non anxius animo, non nimius in judicio, non obſtinatus in conſilio; ſed hilaris facie, lætus mente, discretus in opere, conſentiens in utilitate, & quando aliquis de fratribus præoccupatus fuerit in aliquo delicto,* non

non statim tyrannica vindicta illum excruciaret, sed misericorditer disciplina corrigere festinaret, conversumque clementer susciperet; nec prava suspicione denuo illum fatigaret neque perpetuo odio exterminaret Vid *tom. I Concil. Germ. pag.* 404. Plura de Abbatum Juribus, atque Officiis inveniuntur apud Ascanium Tamburinum *de Jure Abbatum* Carolum Scribanum *Superior religiosus*; in Regula S. Benedicti præsertim *cap.* 2. Conf. Cod. cit. *P. II. tit. XI. Sect. XII.*

Caput II.

NEXUS ECCLESIAE CUM CIVITATE.

§. I.

Fines utriusque potestatis in genere.

I. Duo sunt, Ecclesiæ nimirum & Civitatis, *summa* in suo ordine ac naturaliter *diversa* Imperia; x) ita, ut

a) Rectores Civitatis, ceu Ecclesiæ membra, in rebus sacris *ecclesiastico*, y)

b) Rectores vero Ecclesiæ, ceu membra Civitatis, in civilibus *civili* subjaceant imperio; z)

c) utrique vero Imperantes finem sibi subjectæ Societatis *mediis* sibi *propriis*, & servato *recto ordine* promovere teneantur. *a*)

x) *Ex cap. I. præcognit.* §. *I. n. V. lit. d. not. k*) ibid. § *II. n. IV. lit. a b. c. not. g*) *h*.) Aptissima est hunc in locum *Justiniani* Imp. sententia *Novel. VI. Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei a superna collata clementia, Sacerdotium & Imperium: & illud quidem divinis ministeriis, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens: ex uno eodemque principio utraque procedentia, humanam exornant vitam.*

y) Ita Gelasius P. in *epist. 8. ad* Anastasium *Imp.* scribit: *Duo sunt, Imperator Auguste! quibus hic mundus principaliter regitur, auctoritas sacra Pontificum & regalis potestas. Nosti enim fili clementissime! quod licet præsideas humano generi dignitate, verum tamen divinarum Præsulibus devota colla submittis.* Neque aliter senserunt Imperatores Christiani ipsi: Constantinus e. g: Imp. teste Ruffino *hist. lib. I. cap. 2* aperte fatetur: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoque judicandi, & ideo nos a vobis recte judicamur.*

z) Idem Gelasius Pontifex ad verba mox citata addidit: *Quantum ad ordinem disciplinæ publicæ cognoscentes Imperium tibi collatum, legibus tuis parent ipsi quoque religionis antistites.* Apud Harduin: *tom. IV. Concil. col. 1182.* Subjectionis hujus specimen insigne dedit Gregorius M. P. *lib. II. epist. 62 ind. 11.* ita Imperatori scribens: *Ego quidem jussioni subjectus, eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci, & quia lex ipsa Omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis meis nuntiavi. Utrobique ergo, quæ debui, exsolvi, qui & Imperatori obedienti-*

am præbui, & pro Deo, quod sensi, minime tacui. Huc passim S. Pauli ex *epist. ad Rom. cap. XIII. v. 1* referri solet; in quem S. Chrysost. *homil: 13* ita commentatur: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Etsi Apostolus esses, etsi Evangelista, & Propheta, etsi quivis alius. Neque enim hæc subjectio pietatem subvertit.* At cum nec juribus Præsulum Ecclesiasticorum legitime acquisitis adversari debeat, consequitur: eandem ad illas civiles causas extendendam non esse, relate ad quas immunitatem a jurisdictione seculari sibi competere probare possunt.

a) Quis Ecclesiæ finis sit? *cap. I. præcognit. §. I. n. V. & not: b)* diximus. Civitatis scopum in beatitate externa, quæ conservatione inprimis & securitate civium absolvitur, consistere, dudum Juris publici universalis Doctores demonstrarunt. Conf. lib. Baro de Martini *de jur. civ. cap. I.*

II. Cum vero Salus spiritualis supremam hominis felicitatem constituat, *b*) imo verum Reipublicæ bonum esse non possit, quod illi reipsa contradicat; *c*) hinc rectus ordo exigit, ut si fors in utriusque fori negotiis collisio quædam appareat,

a) finis Ecclesiæ *fini politico,*

b) necessaria Religionis *necessariis Civitatis,*

c) utilia illius *utilitatibus hujus,*

d) atque idem gradus accidentalis etiam utilitatis aut damni in illa *æquali saltem gradui in ista* præferatur;

c) in quorum graduum determinatione non *unius* præcise sententia standum, sed *utri*-*usque partis* judicium expetendum erit. *d*)

b) *Felicitatem* in genere vocant statum voluptatis perdurantis; illamque veram, ac *maximam*, quæ ex veri boni, ac maximi cognitione oritur, & perpetuo durat; maximum vitæ hujus bonum in conscientia virtutis situm est, qua ad infinitum post mortem possidendum, ad Deum tendimus. At virtutis exercendæ, Deique perpetuo videndi non nisi animus noster immortalis capax est: igitur non nisi animi salus suprema hominis felicitas dici meretur: *omnis alia hoc habet*, ait Boetius Met. III v. 7. *Stimulis agit fruentes, apiumque par volantum, ubi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci ferit icta corda morsu.* Conf. Joan. Georg Feder Untersuchungen über den Menschlichen Willen III. Theil. I. Absch. 1. 2. Hauptstück.

c) Sicut animo valeat, oportet, ille, qui corpore velit: ita spirituali virtutis dulcedine perfundatur animus, necesse est, qui fortunis hujus vitæ, quas civile Imperium inprimis respicit, (n. præced. not. a) recreari cupit.

d) Ne nimirum alterutra pars in propria causa judicem agere videatur, aut salutis & utilitatis publicæ obtentu, quo nihil frequentius, nihil vanius, alterius partis jura violentur. *Status imperii*, ait Gregorius VII. P. *lib. I. epist. 19 gloriosius regitur, & sanctæ Ecclesiæ vigor solidatur, quum sacerdotium & Imperium in unitatæ concordiæ conjunguntur.*

III. Ceterum nec civilis Majestas in ipsa sacra, nec Ecclesia in temporalia jus quoddam seu

ſeu *directum*, ſeu *indirectum*, ſibi poterit vendicare, *e*) ſed

a) negotia *Religionem* proxime ac animarum ſalutem ſpectantia ad *eccleſiaſticam* tantum;

b) *civilia* vero, ſeu quæ ad felicitatem mere temporalem referuntur, ad *politicam* privative pertinent poteſtatem; *f*)

c) *mixta* autem, ſeu quæ disciplinæ, aut politiæ eccleſiaſticæ ſimul ac civilis rationes involvunt, aut *ſeparanda*, ſi fieri poſſit, aut *mutuo conſenſu* definienda, niſi diuturna jam poſſeſſio, immemorialis præſcriptio, vel obſervantia rem decidendi poteſtatem uni parti adjudicet. *g*)

e) n. *præced.* I. Conf. Natal. Alexand. *diſſert. hiſt. eccles. tom. IV. pag. 109.* & *tom. VI. pag. 213.* Fuerunt quidem aliquando, qui mutuam hanc utriusque poteſtatis independentiam negabant — jam eccleſiaſticam civili ſubjicientes (vid. *præcognit: cap. I §. II. n. IV. lib. b. not. b.*) jam ab eccleſiaſtica civilem aut *directe*, aut *indirecte* dependere affirmantes; Prima opinio tempore prætenſæ a Luthero reformationis inchoatæ perurgeri cæpit. Vulgatum tunc eſt illud famoſum: *cujus eſt regio illius eſt religio;* ex quo collegerunt, poteſtatem eccleſiaſticam indivulſo nexu cum civili imperio cohærere. Vid. Huberus *de jur. civit. lib. I. ſect. V. cap. II §. 13.* De hac opinione in præcognit. *cap. I. §. II. cit. mox loc.* actum eſt. Inter auctores alterius recenſet Bellarminus *de Rom. Pontif. lib. V. cap 1* Auguſtinum Triumphum in *Summa de poteſt eccles. Quæſt. I. art. I.* Alvarum Pelagium *lib. I. de planctu Eccles. cap. 13.* Hoſtienſem *in cap. quod ſuper his, de vot.*

 &

& vot. redemt. Aliosque adversus quos egregie ipse Bellarminus cit. loc. disputavit. Postrema Bellarmini ipsius est sententia, quam cit. loc. *lib. V. cap 6* his verbis proponit. *Asserimus*, inquit, *Pontificem ut Pontificem, etsi non habeat ullam mere temporalem potestatem, tamen habere in ordine ad bonum spirituale summam potestatem, disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum.* Verum nec ista sententia placuit Ludov Elia Dupinio *de antiq Eccles. disc diss. VII.* Natali Alexand. *hist. eccles. secul. XVII diss. V.* Benigno Bossueto in *defens declarat. Cleri Gallic. P. II lib. IV* aliisque, quorum ad argumenta Bellarmini responsiones examinat Riegger cit. loc. *P. I. §. 190. seq.*

f) *Ideo enim distinxit Christus*, ait Nicolaus II. in *epist. ad* Michaelem, *actus, officia, & dignitates Pontificis, & Imperatoris, ne aut Imperator jura Pontificis aut Pontifex jura Imperatoris præsumeret usurpare.* Nihilominus innumera antiquitatis docent monumenta potestatem utramque, sacram & profanam, sæpe vel expresse vel tacite consentiente, aut indulgente altera, quædam, quæ sui fori non erant, ordinasse: „*nempe* inquit Bossuetus, *utriusque potestatis sancta societas postulabat, ut altera alterius munia in speciem usurparet eo jure, ut amici amicorum rebus utuntur; his certe omnibus communi societate, & consensione valituris*„ ex quo patet, ex factis historicis non semper liquido utriusque potestatis limites posse figi.

g) Seculis, IV. V. VI. imo serius, cum comitia politico-ecclesiastica sub Francorum Regum imperio celebrarentur, causæ mixtæ rarius separabantur: sed sæpissime aut Regis judicio, aut Ecclesiæ Præsulum tantum sententia definiebantur: quia neutra pars periculi quidpiam juribus suis ab

ab altera parari metuebat. Divisiones illæ causarum tunc primo necessariæ magis visæ sunt, cum potestates suis minus contentæ aliena jura, invita etiam parte altera, sibi arrogare, atque mixtas causas non ad communis boni rationes decidere, verum magis ad privatæ utilitatis augmentum detorquere cæperunt.

IV. Hoc utriusqus Imperii limite fixo, rectoque ordine servato

a) Religio, præprimis *christiano catholica* præcipuum erit Reipublicæ fulcrum; *h)*
b) Principum vero auctoritas ipsi Ecclesiæ in salvandis fidelium animis mirum præstabit adjumentum; *i)*
c) Sicque, dum mutuas sibi utraque potestas porrigit manus, cives ad temporalis, & æternæ vitæ salutem securo tramite perducentur;
d) prout contra rupto limite, ordineque neglecto, certum perdendæ felicitatis discrimen, ipsa experientia teste, consequetur. *k)*

h) Asseruerunt id de religione in genere jam ipsi Ethnici, Cicero e. g. *lib. I. de nat. Deor. cap.* 2, ubi gravem hanc sententiam protulit: *Pietate adversus Deum sublata fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima virtus justitia tollitur.* Quid vero Respublica sine justitia? audiamus Lactantium *de ira Dei cap.* 12. *n.* 3. *seq. Religione & justitia detracta vel ad stultitiam pecudum amissa ratione devolvimur, vel ad bestiarum immanitatem; imo vero amplius, siquidem bestiæ sui generis animalibus parcunt. Quid erit homine truculentius, quid inimicius, si* demto

demto metu superiore vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere? Timor igitur Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur. Quanto magis hæc de religione *Christiana* valent! quæ 1) Principibus etiam discolis, non modo *propter iram, sed etiam propter conscientiam* obediendum esse docet; 2) ab ocultis etiam legum transgressionibus proposito omniscii & justissimi remuneratoris Dei timore ac amore avocat; ac 3) quo religiosiores christianos, eo ceteris paribus meliores cives, milites, conjuges, parentes, filios, servos, Reges, judices, denique debitorum redditores, & ipsius fisci exactores efficit. S. August. *epist. 5 ad Marcellin.* Sed nulla quidem Religio efficaciora promovendæ salutis publicæ media suppeditat, quam *christiano-catholica,* in qua præsto est 1) infallibile controversiarum fidei, ac morum magisterium, quod libidinem opinandi, & dissidia in religione, indeque facillime orituras turbas civiles præpedit; 2) fori & interioris & exterioris ecclesiastici ad civilia etiam officia urgens authoritas. 3) apparatus religionis externæ rudium etiam animos ad internum pietatis, & justitiæ amorem inflammans. Conf. Timoth Cæsarini Basilii *politica catholica lib. II* Rectissime igitur negatur: rempublicam Atheorum diu subsistere posse. Vid. Storchenau Philosophie der Religion. *tom. 1.*

i) Ut exempla piorum Imperatorum Constantini Theodosii, Caroli M. Ludovici Pii Regis abunde testantur: qui 1) immorigeros & religionis etiam inimicos compescendo, 2) ecclesiasticas leges civilibus, addita non raro ad spirituales poenas temporali, roborando effecerunt, ut *homines prius timore, vel dolore ad servanda officia coacti, postea doceri potuerint, aut quod jam verbis didicerunt, opere sectari,* ut ait S. August in *epist. 50. ad Bonifac.*

k) Suf.

k) Sufficienter id ex malis illustratur, quæ discordias inter Bonifacium VIII P. & Philippum Pulchrum in Gallia; reformationes ita dictas Josephi II. Imp. in Austria & provinciis hereditariis: denique violenta recentiorum Legislatorum contra Ecclesiam decreta in ipsa denuo Gallia consequuta sunt.

V. Duo jam ex hisce præmissis præcipua utriusque Regiminis jura ac officia deducuntur; nimirum

a) ex eo, quod ab amico Civitatis & Ecclesiæ Rectorum fœdere nascitur, commodo recte postulatur, ut una potestas alteram mediis sibi propriis *tueatur* ac *foveat*, quod Jus advocatiæ dicitur;

b) Ex eo, quod per sacræ profanæque potestatis abusum causatur, detrimento jus pariter oritur & obligatio, ut utriusque Imperii Rectores *adtendere* sibi ac *cavere* possint & debeant, ne una ab altera societas lædi, ac in boni sibi proprii promotione impediri queat, quod Jus cavendi appellatur.

VI. Patet igitur

1) ex parte Rectorum Ecclesiæ

a) *jus cavendi*, ne civilis potestatis abusu saluti animarum periculum creetur; *l*)

b) *jus exigendi*, ut bona *temporalia* sustentandis Ecclesiæ ministris, & cultui divino externo necessaria subministrentur; *m*)

c) *mu-*

c) *munus adhortandi*, urgendique fideles; ut legibus civilibus studiose obtemperent. *n*)

l) S. Ambrosius eximium constantiæ exemplum dedit, qua Ecclesiæ Præsules jus istud adhibere oportet. Vid. apud Rigger cit. loc. *P. I §. 176. Schol.* At nemo certe illud fortius exercuit, quam S. Gregorius VII. contra nefarios Henrici IV. Imperat. in Ecclesiam ausus. Conf. *Biographia critica* Gregorii VII. P. M. *Augustæ & Coloniæ 1792*,

m) Dignus est enim operarius mercede sua ab illo inprimis præstanda, in cujus emolumentum opera cedit; sed Ministri Ecclesiæ, dum religionem curant, salutem reipublicæ promovent; *n. præced. IV.* ergo ecclesiastica potestas pro illis sustentationis media, ut eo liberius negotiis sacris vacare possint, a republica exigendi jus habet. Juri huic correspondens officium adeo perspectum erat antiquitus Christianis: ut non moniti temporibus persequutionum per oblationes spontaneas; data Ecclesiæ pace per decimas, legata, donationes eidem satisfacere studiosissime contenderent. Inde Ecclesiæ bona potissimum originem suam repetunt; quæ ne in usus profanos cum Religionis detrimento convertantur, Ecclesia jure exigit (ut suo loco videbimus) Legislatores ipsi civiles cavent. Vid. Leonis Imp. constitut. in *L. 14. C. de SS. Eccles.* Justiniani *Novel. VII. & CXX. ad caus. X. Q. 2. can. 2.* apud Rigger *cit. loc §. 442.* Conf. cod. Pruss. *cit. P tit. XI. Sect. IV.*

n) Secundum exemplum a Christo Math. *XXII. 21.* a S. Paulo *ad Rom. XIII. 7.* a S. Petro *1. epist. II. 13.* ceteris datum.

2) Ex

2) Ex parte Rectorum Civitatis

a) *jus cavendi*, ne obtentu Religionis damnum Reipublicæ inferatur;

b) *jus advocatiæ*, ut Ecclesiam ab injuriis vindicent, ac bonis & mediis temporalibus sustentent;

c) *jus munusque adhortandi*, ac pœnis etiam civilibus urgendi Christianos, ut Ecclesiæ leges fideliter observent. *o*)

o) Rectissime monet S. Leo P. *epist.* 81. *Regiam potestatem non ad mundi regimen solum, sed etiam maxime ad præsidium Ecclesiæ esse collatam.* - *Resque*, ut ait *epist.* 33., *aliter tutas esse non posse, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent & Regia & Sacerdotalis defendat auctoritas.* Apud Gratian. *Caus. XXII. Q V. can.* 21. add. *cit. loc. can.* 20. Neque immerito id quidem; nihil enim religione ad salutem publicam efficacius, nihil utilius: (præced. n. IV. lit. a. not. h.) *primæ* semper *scelerum*, atque ex his in rempublicam irruentium malorum, *caussæ erant heu! naturam nescisse Deum*; quare, cum Civitatem salvam reddere ad Principum officia pertineat, Ecclesiam quoque defendere, atque ad servanda ejus præcepta mortales impellere, eorum erit. Præclare ad rem dixerat Valerius Maximus de Romanis *lib. I. cap. I. Omnia namque post religionem ponenda semper nostra civitas duxit: etiam in quibus summæ Majestatis decus conspici voluit. Quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire, ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divinæ potentiæ bene, atque constanter fuissent famulata.* Plura hac de re vid. apud Rigger *cit. loc.* §. 428. 429. Barthel *de jur. reform. antiqu. art.* 8. Schenkl *cit. loc.* §. 336, *Schol.* 2.

§. II.

§ II.

FINES UTRIUSQUE POTESTATIS CIRCA RELIGIONEM.

I. Cum Religionis essentialia vero civitatis bono obesse nullo modo possint, p) Jus cavendi circa hæc Principi frustra adstruere-tur; q) sed mero jure Advocatiæ & Protectionis

a) Rectorum Ecclesiæ in definiendis essentialibus libertati & auctoritati pro viribus consulit; r)

b) illos ad Concilia seu particularia seu generalia, necessitate id exigente, convocat, Primate v. c. dubio aut mortuo; vel si eundem ac ceteros Ecclesiæ Pastores ea convocandi promta sine legitima caussa voluntas aut sufficientia media deficiant; s)

c) Definitiones & Decreta illorum exemplo suo, & legibus firmat, eorumque exequutionem promovet; t)

d) doctrinam Ecclesiæ ac veræ Religioni contrariam doceri prohibet, u) ac ut cives rite a doctoribus Religionis erudiantur, mediis quoque civilibus urget; v)

e) libros, de quorum heterodoxia Ecclesia pronuntiat, sua quoque auctoritate proscribit, exterminatque; x)

f) Subditos a vera Religione pertinaciter dissentientes, præsertim si seductionis periculum immineat, jure civitatis privat, aut

aut ad alia territorii ſui loca transfert, mitiora tamen ſemper pro rerum adjunctis remedia præferendo; y)

g) vana de Religione litigia vexasque ſcholaſticas reprimit, ac utrique parti, donec Eccleſia deciderit, ſilentium imponit. z)

p) Eſſentialia enim ſeu *dogmatica* a Deo ad ſalutem hominum ſpiritualem revelata, proin *vera* (Theol. dogmat.) ac augendæ felicitati externæ apprime idonea ſunt *n præced. II not. c.*) aut fasne credere, Deum præcipere poſſe Eccleſiæ ea, quæ fini poteſtatis civilis, cujus ipſe quoque auctor eſt (ad Rom. XIII v. 1.) adverſentur? Conf. *præced. n. IV. lit. a.*) *not. h*)

q) Quod ſolummodo in detrimento per abuſum poteſtatis eccleſiaſticæ Civitati cauſando rationem ſufficientem habet. Vid. *præced. n. V. lit. b.*)

r) Iſtud fuiſſe primorum Imperatorum propoſitum, quoties ad Concilia legatos mittebant, aut collectis Epiſcopis præſidia dabant, patet ex *epiſt.* Theodoſii, & Valentiniani ad Synodum *Epheſin:* ſupra *Cap I §. I n. IV. not. s*) citata. Perſvaſum nimirum habebant 1) ſe non interpretes & judices, ſed, ut monet S. Auguſtin: *epiſt. 48. 50. cuſtodes legis divinæ* eſſe; 2) ademta Epiſcopis in definiendo dogmate libertate, eos non quod veritas, ſed quod neceſſitas poſtulaverit probaturos; proin 3) definitiones eorum utpote a veritate fidei alienas Reipublicæ minime profuturas. *præced. §. I. n. IV. lit. a*) 4) labefactata eorum auctoritate vanos futuros conatus, quos, ut lex civilis ab omnibus ſtudioſe ſervetur, ex officio ſuo (*præced. §. I. n. VI. 1. lit. c.*) impenſuri ſunt.

s) Dictis in casibus posse Principes concilia convocare supra *Cap. I. §. I. n. IV. not r) t.)* indicavimus; probant idipsum plerique 1) ex principiis *præced. §. I. n IV. & V. lit. a)* 2) ex innumeris Principum *factis*, quorum præcipua recenset Rigger *cit. loc. P. I. § 431 Schol* imo ipse etiam Fridericus Imperator an. 1169. ad Concilium *Papiense*, teste Radero *lib. I. cap. 64* scribens: *Quamvis noverim officio ac dignitate imperii penes nos esse potestatem congregandorum conciliorum, præsertim in* tantis *Ecclesiæ* periculis: *hoc enim & Constantinus & Theodosius, nec non Justinianus, seu recentioris memoriæ Carolus M. & Otto Imperatores fecisse memorantur, authoritatem tamen* definiendi *hujus maximi & summi negotii vestræ prudentiæ, vestræque potestati committo. Deus enim constituit vos Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi:* 3) ex ingenuis non nullorum Pontificum Romanorum *precibus*, quibus apud Imperatores pro habenda Synodo supplicarunt; unus sufficiat nobis Leo P. in *epist. 9* ad Theodosium Imp. *Pro integritate fidei*, inquit, *christianum Principem convenit esse sollicitum. — Unde si pietas Vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis Episcopale Concilium.* Ne vero jus hoc Principum illi præjudicet, quod *Cap. I. §. I. n. IV. lit. e)* Primatui essentiale diximus, addunt: 1) gravioris *periculi* casum *apertum* adesse, ac 2) Principes, ut recte animadvertisse videtur Fridericus Imp. in textu mox allato, in *definitionem dogmatis* se se nullatenus ingerere debere; utpote quos non latet *sanctæ Ecclesiæ dogmata*, ut ait Gregorius II. P. *in epist. ad* Leonem Isaurum Imp. apud Harduin: *Tom. IV. col. 10. non Imperatorum esse sed Pontificum, quæ tuto debent dogmatizari; Ecclesiis præfectos esse Pontifices a Reipublicæ negotiis abstinentes*

nentes, ut & Imperatores similiter ab ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt, capessant.

t) Conf. §: *præced. n. VI 2. lit. c.*) Elegantissime S. Augustinus contra Cresconium *lib. III. cap. 51.* inquit: *In hoc Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ pertinent ad* divinam religionem. Hanc ad se curam pertinere fatentur ipsi quoque Imperatores: *In hoc mihi præcipue,* dicit aperte Constantinus *epist. ad ecclesias de Synodo Nicæn:* apud Eusebium *de vita* Constantini *lib III cap.* 17. *elaborandum esse existimavi, ut a sanctissimis Ecclesiæ catholicæ populis una fides, sincera charitas, & consona erga Omnipotentem Deum religio servaretur.*

u) Doctrinam veræ Religioni contrariam spargendi licentia errores diffundit, dissensum in Religione parit, qui odia inter cives suscitat, ac alit, ut olim jam experientia teste notavit Juvenalis *Satyr XV. 33 seq.* Præterea qui religionem veram, docendo contraria, oppugnat, præcipuum Reipublicæ fulcrum suffodit. *§. præced. n. IV. lit. a.*) At Principum est civium animos ad communem Reipublicæ finem arctius conjungere, atque, quæ huic adversantur, impedire, *§. præced. n. III. lit. b.*) item *n. I. lit. c.*) eorum igitur etiam erit *veræ Religioni contrariam doctrinam prohibere.*

w) Ex Religionis veræ ignorantia perniciosissima & Ecclesiæ, & Civitati mala *Atheismus & Superstitio* promanant. Rigger *cit. loc. P. I. §. 44. prolegom.* Quapropter tum sacræ scripturæ textibus *epist. ad* Tit. et Timoth. tum Concilii *Trident. Sess. V. cap. 2. de reform.* decretis Episcopis primario munus instruendi in religione populum, aut si ipsi impediantur, idoneos hanc

in rem Verbi divini prædicatores constituendi, ineptos removendi, *negligentes*, *etiamsi a jurisdictione Episcopi quavis ratione exemtos se esse prætenderent*, censuris ecclesiasticis ad officii sui observantiam adigendi potestas demandata est. Conf. etiam *cit. Cod Pruss. P. II. tit. XI. Sect. III. §. 121.* imo & Seminariorum, ac illarum in Universitatibus Facultatum, quæ educandis religionis Doctoribus præcipue destinatæ sunt, cura & inspectio commissa: Concil. *Trident. Sess. XXIII. cap. XVIII de reform.* — Instruktion für die Priester des Königlichen Schulen-Instituts in Schlesien *dd 11. Decemb. 1774. pag. 3. 4. 5.* Sed enim plurima non raro intercedere solent, quibus Episcoporum studia huic officio diligentissime etiam impensa minus efficacia redduntur: ergo vi juris advocatiæ *§. præced. n V. lit. a.)* ad potestatem civilem pertinebit civilia adjungere media, quibus ignorantia hæc religionis ab utriusque Reipublicæ limitibus quam longissime arceatur.

x) Minus nocere dogmata veræ Religioni contraria in animos fidelium demissa per aures, quam oculis subjecta, nemo fors erit, qui controverteret; sed providere, ne vera Religio voce impugnetur, inter Principum officia ac jura *præced. not. u) v)* numeratum est; quanto magis igitur vigilantia illuc referenda erit, quæ circa proscriptiones librorum ex Ecclesiæ sententia Religioni perniciosorum versatur. Adde: quod Congregationis Indicis, Censorum Episcopalium auctoritas ad impediendam libri, cujus argumentum reprobaverunt, divulgationem haud sufficiat, nisi legibus eorum, qui Civitati præsunt, adjuvetur; aut igitur animosa ætatis nostræ scribendi libido, quidquid hucusque Civibus ac Christianis sanctum videbatur, impune profanabit: aut, ne id præsumat, civilibus sanctionibus compescenda est. Alterum visum est omni ætate sapien-

pientissimis Principibus longe consultius, ut abunde docent leges sive impressionem, sive invectionem hujusce modi librorum sub gravibus non raro pœnis prohibentes. Vid. Paul: a Rigger *cit. loc.* §. 438.

y) Severam satis fuisse hac in re primorum christianorum Imperatorum œconomiam idem Cl. a Rigger *§. 434. Schol.* ex variis eorundem legibus contra hæreticos latis ostendit: nempe gravibus sæpe dictatis pænis mature præcavebant, ne illorum numerus adeo augeretur, ut molestus ceteris evaderet. Majore rigore usi sunt Galliarum Reges usque ad Henrici IV. tempora, qui primus an. 1598. promulgato Edicto *Nanetensi* tanta dissentientibus jura concesserat, quanta vel ipsi vix sperare audebant. Vid. Ducreux Christliche Jahrhunderte *Tom. VIII. Sec. XVI. Sect. 9. edit. Viennen. 1779.* Mox gravissimæ turbæ in universo regno sequutæ sunt, ad quas finiendas unicum in revocatione Edicti *Nanetensis* remedium positum esse Ludovico XIV. persvadebant. Exequitur Rex consilium an 1685. 22. Octob. at cruenta plane vulnera regno infert. Idem *Tom. eod. Sec. XVII. Sect. VI* Intellexere mox Principes alii sapientissimam fuisse Thuani in *Præfat. ad Regem christianissimum* Henricum IV. monitionem: *ferrum, flammas, exilia, proscriptiones irritasse potius quam sanasse morbum menti inhærentem, ad quem proinde curandum non iis, quæ in corpus tantum penetrant, sed doctrina, & sedula institutione, quæ animum leniter instillata descendit, opus esse.* Quapropter, ut Reipublicæ ac Ecclesiæ simul consulerent, cautius statuerunt: 1) principiis obstandum esse, atque ne errores irrepant, mature providendum; 2) erroribus jam infectos doctrina ac persvasione ad veritatem reducendos; 3) ubi hæc optato effectu caruerit, aut tolerandos, si error ex se *innoxius*,

 aut

aut transplantandos, si *periculosus*, aut puniendos etiam, si alerutri Societati *perniciosus* fuerit. Atque hanc procedendi normam 1) Pax W. *art. V. §. 36. instr. P. Osnabr.* tacite admittit; 2) & Reipublicæ & Ecclesiæ salus exposcit; 3) saluberrimi effectus commendant; 4) ipse etiam Barclajus in persona Ibburanis Archombrato nihil nisi arma in hæreticos clamanti respondens probat in *Argen. lib. II. cap. III. P. I.* sequentibus verbis: *Si quid vero ipse sentiam, neque cum illis pacem, neque bellum simpliciter volo. Nam si quietem possunt pati, non hos puto ullis motibus sollicitandos: sin in Regem, remque publicam seditiosis consiliis sponte insurgent, ferendos non arbitror, sed vi armisque premendam vesaniam superbe furentium. Pia tunc arma, tunc omni laude digna severitas. Totis regni viribus enitendum, ne impune auferant abominandi in reges exempli audaciam Et eo quidem celerius vindicandum est facinus, quo ipsi ferocius solent grassari in cunctantes, nostramque patientiam pro imbecillitate contemtim accipere. Neque enim hæc secta ferendo, parendove, ut solent meliores disciplinæ, quærit sibi incrementa: sed jurgio, rixa, tumultu sua facinora assuevit asserere. Ferro igitur, & plusquam æmula ferocitate censeo in eos esse agendum, quoties suis injuriis regem, ac patriam lacessent. At si seditionibus, si rebellione abstinebunt, patientur mitius se haberi, tunc ego cum illis pacem malim.* Sed Conf. Schenkl *cit. loc. §. 341. Schol. 3.*

z) Concordant huic asserto varii Recessus Imper. uti *Spir. de an. 1529. §. 8. Aug. Vindel. 1570 §. 154.* Ord. Polit. 1577. *Tit. 53. §. 1. seq.* Cod. Pruss. *cit. loc. Tit. XX. Sect. VI. §. 227.* Inde vero non adeo difficile erit respondere, quid de Constitutione Caroli V. *Interim* an. 1548. promulgata, (*vid. prœcognit. cap. II. §. III. n. I. 1. lit. d.*) sentiendum sit. Jurene, an injuria *nefariam*

fariam dixerit hanc Conſtitutionem Raynaldus. vid. *in hiſt. auguſta quinque Carolorum Viennæ 1735* folio a R. P. Joſepho Pichler edita *lib. V. n. 808 ſeq* Conf. Rigger *cit. loc. §. 437. Schol.*

II. Hoc tamen Advocatiæ munus non omnem prorſus politicam falſæ etiam Religionis Tolerantiam excludit *a*) ſed

a) poteſt Princeps, ut majus ab Eccleſia vel Republica damnum arceat, alienos etiam ab Eccleſia cives ſuſtinere;

b) imo prudentius quandoque talibus publicum etiam ſuæ Religionis exercitium, ne larvati plus noceant, concedere; *b*)

c) dummodo vigilem curam, mediaque ſufficientia ad avertendum ſeductionis periculum impendat; *c*)

d) quod hodie circa Proteſtantes in Imperio vulgo tantum non eſt, ut in ipſo ſic dictæ reformationis exordio; *d*)

e) circa judæos vero vix non ex integro evaneſcit; *e*)

f) nunquam vero alienæ Reipublicæ cives ſibi innoxios falſæ Religionis cauſſa bello impetere ulli Principum licebit. *f*)

a) *Tolerantia*, quam etiam alias *libertatem religionis* aut *conſcientiæ* vocant, alia *politica* eſt ſeu civilis, eccleſiaſtica ſeu *theologica* alia; quod poſteriorem attinet: ſatis quidem certum eſt, Superiores eccleſiaſticos approbare non poſſe religiones eſſentialiter diverſas; in id enim illis omnimode incumbendum eſt, ut omni creaturæ Evangelium prædicent, atque in unanimi ejusdem

 Reli

Religionis professione media salutis æternæ suppeditent. Tolerantia hujusce modi ad indifferentismum ducit, aut eundem præsupponit. Omnis igitur quæstio nonnisi circa tolerantiam *civilem* versatur, qua religionis etiam falsæ liberum ac publicum exercitium lege eorum, qui Rempublicam gubernant, permittitur.

b) Ex duobus enim malis minus est eligendum. At quid, si nulla necessitas ad concedendum Religionis falsæ civitati etiam seu *absolute*, seu *respective noxiæ* liberum exercitium urgeat? quid, si religio innoxia quidem, aut etiam *proficua Civitati* videtur, at probabile & mediis licitis indeclinabile periculum perversionis inde civibus orthodoxis immineat? utroque in casu denegandam esse tolerantiam, ex officio Principis 1) erga Rempublicam *§. præced. n. VI.* 2) *lit. a*) — 2) ergo Ecclesiam ibidem *n. II. lit. b*) *c*) colligitur. Conf. Pehem *cit. loc §.* 773 774 775. item Rigger *cit. loc P. I. §* 473 *Schol.*

c) Aptissime hunc in locum scripsit Budæus in *Theol. moral. P. II cap. III. Sect. VII. §. 21. in not. Tolerantiæ limites ultra quam par est, non sunt extendendi. Tolerandi sunt dissentientes, ita tamen ut veritati nullum inde creetur periculum, & qui nostræ curæ concrediti sunt, in discrimen amittendæ salutis æternæ non conjiciantur. Tolerandi sunt, non tamen statim facultas impune, & pro lubitu errores disseminandi, & alios seducendi illis est concedenda Tolerandi sunt, simul tamen in viam veritatis ea, qua decet, ratione revocandi. Paucis: tolerantia non debet excludere curam conservandi, propagandique veram Religionem.* Media, quibus hæc veræ religionis & securitas & propagatio certissime obtinebitur, *n. præced. I. lit. d. not. u*) *v*) dedimus. Alia præterea legibus civilibus & canonibus ecclesiasticis commendantur: vid. apud Paul a Rigger *cit.*

cit. loc. P. IV. §. 297. 298. in quorum vero pluribus adhibendis, ut eo securius effectum sortiantur, Episcopalis auctoritatis interventionem admittere Princeps non dedignabitur. Conf. *§. præced. n. IV. lit. c.*)

d) Catholici enim, ut plura taceam, a Concilii Tridentini temporibus solertius ac solidius in dogmate Religionis suæ instructi non adeo faciles inveniuntur ad profitendam doctrinam, cujus propagandæ zelus conversis cum Principum, tum Doctorum in alia studiis aliunde deferbuit.

e) Utpote quorum 1) crassa nimium superstitio, 2) obstinata incredulitas, 3) mores a Christianorum socialibus legibus summ opere diversi, 4) dura in universo fere orbe civilis conditio per se jam ab amplectendis eorum sacris quemvis absterrent.

f) *Sola injuria vel facta vel facienda justa belli causa est.* Wolff *Inst. J. N & G. P. IV. cap. VII. §. 1170* ergo contra alienæ Reipublicæ cives ob religionem falsam quidem, at innoxiam injuste Princeps bellum gereret. Porro impedire quidem obligatur Princeps, ne, qui falsum profitentur dogma, aut Religioni veræ, aut Reipublicæ noceant: *n. præced. I. lit. f not. u) y)* at *vim ad credendum inferre* non audet. Concil. *Toletan. IV. cap. 57.* a Gratiano *Dist. 49. can. 5.* relato. Rigger *cit. loc. P. I. §. 47. 48. 49. 50. prolegom. Qui sincera intentione*, ait apposite Gregorius ad Paschasium Episcopum apud Gratianum *cit. Dist. can. 3*) *extraneos ad fidem rectam cupiunt perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adversitas.* Sed conf. Reiffenstuel *Decret. lib. V. tit. 6.*

III. Accidentalia, seu disciplinaria Religionis Reipublicæ innoxia princeps item ceu Advocatus Ecclesiæ pro virili tuebitur; cum vero a quibusdam hinc inde damnum accedere civitati possit, circa ea Jus cavendi rite exercet, adeoque denegari eidem potestas nequit

a) novas disciplinæ leges prævie inspiciendi, & ex justa caussa earum promulgationem impediendi, — Placitum Regium vocant; g)

b) quo ipsas etiam Bullas dogmaticas referunt, non ob dogma ibi decisum, sed ob pænas, clausulas, aliasque enuntiationes paci publicæ, juribus Principum, aut consvetudinibus Nationum quandoque contrarias; *h*)

c) urgendi etiam mediis propriis legum jam vigentium immutationem vel abrogationem, quoties majus Reipublicæ ex earum retentione detrimentum, quam Ecclesiæ commodum ostendi poterit. *i*)

g) Leges *disciplinares* ecclesiasticas, quamvis in se justas, ob varias Reipublicæ circumstantias eidem *nocere* posse mirum non est: non enim uni alterive populo, sed pluribus passim feruntur observandæ: quælibet vero natio singularibus utitur juribus, libertatibus consvetudinibus, nec par omnium indoles, ingenium, mores, necessitas, quibus tamen omnibus leges ecclesiasticæ adaptandæ sunt, ergo diversa hæc populorum ratio efficiet, ut quod uni utile est, alteri tamen minus conducat; quoniam igitur ad Principem spectat arcere damnum a Republica, ad illum

quoque

quoque pertineat, necesse est, jus impediendi exequutionem legis ecclesiasticæ Civitati noxiæ, proin & an talis sit, inspiciendi, antequam promulgetur. Necessitatem *Placiti Regii* pluribus argumentis probavit præter Petrum de Marca *de Concord. S. & I. lib. II. cap. 10. §. 9. cap. 16. §. 4. lit. IV. cap. 6.* & Van Espenium *tract. de promulg. legis eccles. P. II.* Covarruvias *Pract. Q.Q. cap. 35. n. 4.* cum Cl. Barthel *dissert. de jur. reform. antiq. Art. VIII §. 24.* Conf. cit. Cod. Pruss. *cit. loc. Sect. III. §. 118.*

h) Conf. *§. huj. n. præced. I. not. p)* sed add. quod Cl. Zallwein *cit. loc. Tom. I, q. 4. cap. 21. §. 5.* monuit: nimirum si qua in re, *hic maxime cavendum, ne præjudicia, damna, & pericula bono publico ab ecclesiastica potestate statim, uti ab inimicis solet, timeantur, aut omnino fingantur*; verbo: jus istud non severe nimis, nec cum præjudicio potestatis ecclesiasticæ exercendum. Aliud Josepho II. Imp. placuit, ut ex decreto 26. Martii 1781. edito constat.

i) Dico *majus* Reipublicæ *detrimentum*, quam Ecclesiæ *commodum*: quodsi enim illud par sit huic, aut minus plane, retinendam esse legem ecclesiasticam, ex principiis *§. præced. n. II. lit. a) b) c) d)* colligitur. At quærunt: an Princeps non quæsito Rectorum Ecclesiæ consensu legem, quam Civitati magis noxiam, quam Ecclesiæ proficuam judicat, arbitrio suo, ac auctoritate mutare, aut abrogare possit? Affirmat Pehem quoad plures Ecclesiæ leges *cit. loc. §. 796. 797. 802. usque ad §. 805.* negant alii, &, ni fallor, rectius quidem: nam & mutuæ utriusque potestatis independentiæ (*præcognit. §. II. n. IV. lit. b)* & principiis hactenus, præcipue vero *præced. §. I. n. II. lit. e) & n. III.* constitutis longe convenientius esse videtur: siquidem Princeps ostensa prius sufficienter Rectoribus Ecclesiæ immutan-

mutandæ, aut abrogandæ legis necessitate, immutationem ipsam aut abrogationem ab iisdem postulet, tum primo ex auctoritate sua dispositurus, cum hos justis suis petitionibus pertinaciter repugnantes expertus fuerit. Hanc procedendi rationem, utpote ad obtinendam etiam securius ab hominibus tenerioris conscientiæ decretorum suorum observantiam summopere idoneam, cuivis magis violentæ prætulerunt sapientiores Principes, ut plura antiqua Imperatorum, & recentiora Regum etiam nostrorum facta testantur. Conf. *Cap. I. §. X. n. I. not. a.*)

IV. Se ne Rectoribus Ecclesiæ jus cavendi intuitu Civitatis frustra adsertum existimetur, vindicanda & ipsis potestas est

a) prohibendi, ne leges civiles saluti æternæ noxiæ ferantur; *k*)

b) et, siquidem etiam jus *prævia inspectionis* ipsis haud necessarium dicatur, saltem earum, si promulgatæ jam sint, exequutionem impediendi — Placitum subsequens a quibusdam nominatur; *l*)

c) imo urgente etiam illas potestate politica, subditos nihilominus, si ruina spiritualis *manifesto* immineat, ne obediant, mediis propriis obligandi; *m*)

d) quapropter, ne periculosa utriusque Regiminis nascatur confusio, nil exoptandum magis, quam ut mutua in caussis utrumque Regimen tangentibus consilia amice prius conferantur. *n*)

k) Quid

k) Quid enim hæc poteſtas aliud eſt, quam jus læſionem Eccleſiæ imminentem præcavendi? at iſtud cuivis homini natura competit (Wolff. *Inſt. J. N. & G. P. I. cap. 3. §. 91.*) ergo nec Eccleſiæ Rectoribus denegandum eſt. Conf. §. *præced. I. n. V. lit. b*) & *præcognit. §. II. n. IV. lib. b*) *c*)

l) *Placitum* iſtud *ſubſequens* non adverſatur 1) independentiæ poteſtatis civilis ab eccleſiaſtica: *§. præced. I. n. I. not. x*) utpote quod non ipſam poteſtatem, aut rectum ejus *uſum* reſtringit, ſed ſolummodo *abuſum* ejusdem impedit; 2) nec Reipublicæ bono; non niſi eas enim leges prohibet, quæ ſicut Religioni directe inimicæ ſupponuntur, ita ob arctiſſimum ejusdem cum ſalute Civium nexum *§. præced. I. n. IV. lit. a. not. h*) Reipublicæ pernicioſæ evaderent; *ibid. n. II not. c*) nec denique 3) Principum Majeſtati, e qua tunc demum ſupremi Numinis imago perfectiſſime elucet, cum non niſi ea agere poſſunt, quæ veram hominum beatitatem promovent. Cum porro ad præcavendam læſionem Eccleſiæ imminentem unicum non raro ſit medium, non video, cur Rectoribus Eccleſiaſticis non conveniat. Conf *præced. not. k*) Nolo tamen opinionem tueri eorum, qui & jus *Placiti antecedentis* Superioribus Eccleſiæ propterea tribuunt, quod Gubernatoribus Reipublicæ competat, *præced n. III. lit. a*) *b*) *not. g*) *h*), ipſaque poteſtas eccleſiaſtica haud ſit inferior civili. §. *præced. I. n I. not. x*) Dato enim lubentiſſime utroque, eam adhuc inter utramque poteſtatem intercedere differentiam, quæ efficiat, ut quod uni neceſſarium eſt, non propterea & alteri conveniat, dudum Van Eſpenius & Covarruvias *cit. locis* demonſtrarunt adeo ſolide, ut probabiliorem vix credam eſſe ſententiam, jus illud Eccleſiæ aſſerentem. Conf. Pehem *cit. loc. §. 812. ſeq.* item Schenkl *cit. loc. §. 345. Schol.*

Schol. & Joan. Georg. Wanner J. U. D. *dissert. can. publ. de Placito eccles.*

m) Verbis Christi *Math. X. 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere:* ad ferendas constanter ex religionis amore persequutiones eosdem exhortando; imo censuris etiam ecclesiasticis *ad reddendum Cæsari, quod Cæsaris est, Deo, quod Dei est*, impellendo. Jure hoc usi sunt Præsules ecclesiastici illa jam ætate, qua, fatentibus etiam ipsis adversariis, usurpationes potestatis illegitimæ penitus ignotæ erant. Testantur id facta Martini P. cujus constantiam in damnandis Heraclii *Ecthesi*, & Constantis *Typo* nullæ calamitates infringere poterant. Fleury *hist. eccles. lib. XXXIX*; Germani Patriarchæ Constantinopolit: strenue impiis Leonis Isauri contra Christi, Sanctorumque imagines decretis resistentis; Idem *lib. XLII.* Gregorii II. P. severiora etiam contra eundem Imperatorem frustra, ut revocaret decreta sua, monitum media adhibentis. Idem *eod. lib. §. 171.*

n) Saluberrimos amicae hujuscemodi consultationis fructus novit quam optime non modo Ecclesia, verum etiam ipsa Respublica temporibus Caroli M. & Successoris ejus Ludovici Pii, qui de negotiis civilibus rarius, de ecclesiasticis nunquam fere extra comitia disponebant, ad quæ Episcopos non vocassent, quorum aut consilium, aut consensum pro varietate caussarum exquirerent. Inde Capitularia illa Regum Francorum (*præcognit. cap. II §. I n. III. 2.*) originem repetunt, quibus ceu communi Episcoporum & Procerum consensu editis sanctionibus pax Sacerdotium inter & Imperium in utriusque Societatis emolumentum felicissime conservabatur. Conf. etiam *cit. loc. n. III. i. lit. c. not. l.*)

§. III.

§. III.

FINES UTRIUSQUE POTESTATIS CIRCA PERSONAS ECCLESIASTICAS.

I. Perſonæ eccleſiaſticæ, ſeu per ſacrum Ordinem, aut religioſam Profeſſionem divino cultui ſpecialiter deputatæ, quoad negotia ſua & actiones *mere ſacras*, ac nullum cum Republica nexum habentes, *eccleſiaſtico privative* ſubduntur Imperio *o*) ſalvo tamen Principum Advocatiæ & Protectiois jure, quo

a) illas, earum jura, & auctoritatem tuentur; *p*)

b) officii forte negligentes admonent, ac Eccleſiæ inobedientes ad ſervandos Canones pœnis quoque civilibus adigunt; *q*)

c) eas, ſi quidem *via facti* & manifeſte contra Canones a poteſtate ſacra læderentur, ab injuria etiam eccleſiaſtica ceu *Tutores* Canonum vindicant, *r*) non equidem cauſſam ad ſuum trahendo judicium, ſed adnitendo, ut ea a judicibus *ſacris readſumatur*, ac injuria reparetur. *ſ*)

o) Conf. *præced.* §. *I. n. III. lit a*) *not. f.*) Juſtiniani Imp. *Novel. 89 cap. 1.* Rigger § 439.

p) Jubendo inprimis, ut ſubditi Clerum venerentur, ei in ſpiritualibus obediant, immunitatem ejus non violent; ac puniendo etiam verborum Chriſti *Luc. X. 16. Joan. XIII. 20.* transgreſſores: ne invaleſcente Miniſtrorum religionis vilipenſione Religio ipſa, præcipuum Reipublicæ fulcrum

fulcrum vilipendatur. §. *præced. I. n. IV.* lit. a) Conf. Concil. *Trident. Seß. XXV. cap. XX. De reform.* item cit. Cod. Pruſſ. *cit. loc.* §. 215.

q) Neglectus officiorum eccleſiaſticorum ſimul cum civilis ſalutis detrimento conjunctus eſt. §. *præced. I. n. II. & n. IV. lit. a)* poterit igitur Princeps obſervantiam illorum monitionibus primo, poſtea, lenioribus nempe hisce mediis nihil proficientibus, pœnis etiam civilibus urgere. Conf. §. *præced. I. n. VI. 2) lit. c) not. o)* Theodoſii *epiſt.* ad Cyrillum: Juſtiniani *Novel.* 137, apud Rigger §. 440.

r) Inter graviſſima enim, quæ Rectoribus civitatum incumbunt, officia iſtud facile primum eſt, ut ſubditos ſuos, ab omni injuria, unde unde imminente, ſecuros præſtent. At injuria hæc *via facti*, & *manifeſte* contra canones illata ſit oportet, quodſi id prius certum non fuerit: remedium contra injuriam incertam querulantibus ferre, & bonæ exiſtimationis Superioribus Eccleſiaſticis debitae favor, & metus vetat, ne male feriati homines hac Principum protectione ad liberius peccandum abutantur.

s) Ita temperatum jus hoc facilius contra illos defendi poterit, qui ſequentibus præcipue ex rationibus tribuendum non eſſe Principibus exiſtimant: 1) quod plurium Conciliorum decretis vetitus ſit recurſus a ſententia Superioris eccleſiaſtici ad Principem, ergo & huic jus denegatum ad ſe recurrentem ab injuria vindicandi; Conf. *Caus. II. Quæſt. VI.* 2) quod Concil. *Trident. Seſſ. XXV. cap. 3. de reform. nefas eſſe* dicat *ſeculari cuilibet Magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico Judici, ne quem excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet*: 3) quod idem jus Eccleſiae Rectores ſibi contra injuſtas Principum in cauſis civilibus ſententias haud

arro-

arrogent; 4) quod jure hoc Principibus dato actum sit, de potestatis ecclesiasticæ a civili independentia. Repones enim ita ad singula 1) vetitum esse a sententia ecclesiastica ad civilem potestatem recursum, siquidem illa servata judicii forma, non via facti lata, ipsaque injuria, & canonum violatio haud manifesta, nec certa fuerit; Conf. *not. præced r.*) secus noluisse ipsa Concilia omnem recursum prohibere, ex Romanorum Pontificum confessionibus, & innumeris sanctissimorum Virorum factis tute concludimus. Vid. apud Gratian: *Caus. II. Quæst. VII. can. 41.* memoratu dignissimam hac de re Pontificis sententiam: exempla vero S. Athanasii a Synodo *Tyria* per summum nefas damnati ad Constantinum Imp. S. Chrysostomi a judicio Theophili in Synodo ad *Quercum* ad Arcadium Imp. provocantis, aliorumque plurium apud Van Espen *Tract. de recursu ad Principem.* 2) nec id equidem volumus, quod *Tridentinum* Concilium Principibus nefas esse declarat: verum id solum, quod iisdem tacite asseruit, dum eos *Ecclesiæ protectores*, Canonumque sacrorum *defensores* (*Sess. XXV. cap. XX. de reform*) palam pronuntiavit; nempe non potestatem impediendi Ecclesiam in puniendo reos, aut avocandi ecclesiasticas caussas ab Episcoporum judiciis ad sua, verum jus solummodo defendimus adnitendi, ut quæ contra Canonum præscriptum in apertam alterius injuriam decisa sunt, a judicibus sacris readsumantur, ac injuria reparetur; Vid. *supr. lit. c.*) 3) magna est utrinque disparitas; injustæ Principum in caussis civilibus contra subditos suos decisiones felicitati civium spirituali, quæ ex virtute promanat (*§. præced. I. n. II not. b*) haud nocent: *virtus enim in tribulatione perficitur:* ergo Superioribus Ecclesiæ necessarium non est jus civiles injurias a Principe illatas vin-

dicandi Conf. *Luc. XII. 14.* At pone manifestam injuriam in caussis spiritualibus a Superiore ecclesiastico inferri cuipiam, excommunicationis e. g. fulmen injuste vibrari: quæ erit, quæso, pænarum ecclesiasticarum- quæ virtutis & æquitatis Præsulum, quæ ipsorum Canonum Ecclesiæ æstimatio? quæ legis, exempli boni, ac gladii spiritualis, ut Concilium *Trident.* excommunicationem vocat, ad virtutis studium alendum efficacia? vilescent hæc omnia coram oculis læsi, nisi intervenientibus Principum bonis officiis injuria reparetur. Habent præterea sententiæ ecclesiasticæ id proprium, ut ob adnexos pœnis spiritualibus civiles effectus, dum bonis spiritualibus quempiam privant, & felicitati ejus civili damnum adferant; at curare, ne ista per manifestam injuriam Civibus adimatur, ad Principem profecto pertinet; habet igitur ille quoad reparationem manifestæ injuriæ ecclesiasticæ juris quidpiam, quod Superioribus Ecclesiæ relate ad iniurias civiles haud competit, nisi quantum & isti Principem ut amici amicum monere possint, ut Patris Patriæ officia erga subditos suos, qua valet religione impleat. Conf. *§. præced. I. n. IV. lit. c) n. VI. 1. lit c).* 4) denique nil derogari independentiæ potestatis sacræ a civili, aut civilis a sacra per jus Placiti *antecedentis illi, & consequentis huic §. II n. III. lit. a) b) n. IV. lit. b) not. l)* concessum: igitur nec jure, de quo sermo est, derogari eidem quidpiam: utpote quod promulgationem, aut exequutionem legis, ut illud, non impedit, verum ad Canones exactius servandos movet: solamque injuriæ inferendæ licentiam restringit, quæ cum genuina Ecclesiæ potestate nulla ratione confundenda est.

II. Cum

II. Cum vero ob varia Cleri adjuncta damnum quandoque sentire Civitas possit, recte etiam circa eundem Princeps Jus cavendi exercet; unde

a) *intervenire* poterit, ne numerus personarum ecclesiasticarum cum detrimento Reipublicæ nulloque Ecclesiæ commodo *immodice* augeatur; *t*)

b) contra eos, quos gravibus de caussis noxios fore timet, *jure exclusivæ* utitur, ne ad munia publica Ecclesiæ promoveantur, quod in iis maxime valet, quibus præter sacram politica quoque potestas est adjuncta, & ad ipsius quoque Summi Pontificis electionem extenditur; *u*)

c) *excessibus*, qui ex Sacrorum *abusu* fors oriuntur, & *quatenus* cum damno Civitatis connectuntur, mediis propriis medetur. *v*)

t) Recolantur vero hic principia §. *præced. I. n II.* posita: docent enim, quid eo in casu Principi juris sit, ubi ex aucto personarum ecclesiasticarum numero non minus aut majus plane Ecclesia commodum, quam Respublica detrimentum sentiret.

u) *Exclusivæ* dandæ jus 1) in *sacris canonibus* fundatum est: jubent enim hi, ut inter dignos dignior sacris officiis præficiatur; at quem putas esse digniorem? non illum sane, qui sola doctrina, pietatisque zelo alios antecellit, sed vel maxime, ex quo major & Ecclesiæ & Reipublicæ utilitas sperari potest; quod inprimis in illis obtinet, quos Ecclesiæ judicio electos Principes quoque sua fiducia, & consensu confirmant; statu-

 unt,

unt. ut nullus invitis detur Episcopus *Can. 13. Dist. 61.* proin ut nec Principi renitenti obtrudatur; rogant etiam *Dist. 63. can. 16. seq.* ut Imperatores Reatinam ecclesium cuidam electo concedere, & Regio præcepto ad ordinationem Apostolicam Colonum electam admittere dignentur. 2) *Facta* quoque & *leges civiles* Principibus illud vendicant: assensu Imperatorum Episcopos in Italia, Illyrico, Græciaque seculo VI. desinente constitui solitos evincunt epistolæ Gregorii I. Stephani IV. & Leonis IV. apud Gratianum *Can. 9. 10. 16. seq. Dist 63.* Hoc jure usus Leopoldus Imp. Cardinalem Fürstenbergium Episcopum Argentorat. ab Archiepiscopatu Coloniensi arcuit. vid. Joan. Christian. Lunig *Syllog. publ. negot. pag. 970.* Conf. Cod. cit. Pruss. *cit. P. tit. XI, Sect. XII. §. 1009. 1010. 1011*; 3) *salus publica* adhibendum esse svadet: quid enim si eligendus sit hostis patriæ? Principi inimicus? erit Reipublicæ eo perniciosior, quo majus in animos fidelium vi dignitatis suæ ecclesiasticæ habet imperium. Qui jus hocce ad electionem usque Romani Pontificis extendunt, plerumque ad Pontificale Rom. *Tit. de ordinat. Presbyt. & Dist. 63 can 22. 23.* provocant. Quidquid sit, illud certissimum semper est: Principes, quotiescunque eos hoc jure uti contingit, meminisse debere, non salutis solummodo civilis, verum etiam quam maxime ecclesiasticæ rationem habendam esse, §. *præced. I. n. II.* *Imperium enim divino nutu sortiti, plurimam sollicitudinem impertire debent, quatenus et vera religio, & respublica cultu Dei purissimo, & pietate firmata præfulgeat.* Verba sunt Marciani Imp. in prima Concilii *Chalcedon.* Sessione Patres alloquentis, apud Harduin. *Tom II. col. 71.*

v) Conf. Pehem *cit. loc.* §. 796. Cod. Pruss. *P. II. Tit.* 20. *Sect.* 6. §. 220 *usque ad* §. 226 Huc *impediendarum* nonnunquam *Legationum* pontificiarum jus, teste Petro de Marca *cit. loc. Lib. V. cap.* 56. & Van Espenio *P. I. tit. XXI. cap.* 4 sæpe a Principibus exercitum, referre solent, cui quidem *Extravag. un. de consvetud. inter commun*: directe opposita videtur, attamen, si ad ea, quæ Rectores ecclesiastici Reipublicæ debent officia, *præced.* §. *I n. V. lit. a)* & *n. VI. lit. c.)* animum reflectas; haud ita generalis creditur: ut ad legationes etiam auctoritati regiæ: libertatibus regni: aut juribus Ordinariorum contrarias omni suo rigore extendi debeat. Vid. Endres *discurs. politico canonic. de recusatione Visitatoris Apostolici* Sed Conf. *Cap. I.* §. *I. n. IV. lit. h. not. x.)* § *III. n. III.* 3. *lit. d. e. not. y)* & *Cap. II* §. *I n. II. tot.*

III, In rebus vero *profanis*, illisque servitiis ac oneribus, quæ nec sacri ministerii dignitatem dedecent, nec officium impediunt, personæ etiam ecclesiasticæ *per se* subsunt Principum politicorum potestati, utpote inde

a) nec jure naturali, *x)*
b) nec divino positivo, *y)*
c) nec SS. Patrum, aut Pontificum Romanorum, qui primis Ecclesiæ seculis vixera, sensu excepti. *z)*

x) Docet enim ipsa *ratio*: 1) eum, qui commoda vult, & onera a se juste amoliri non audere; 2) quemvis, qui in eadem, in qua natus est, civitate manet, saltem tacite pactum subjectionis erga imperium ejusdem civitatis inire, quod per transitum a statu laicali ad clericalem non tollitur, quia in essentia sacrorum ordinum ni-

hil continetur, quod cum pacto isto stare non possit. 3) si, salva sua seculari dignitate Principes in sacris *ecclesiastico* subduntur imperio (*Cap. II. n. I. lit. a not y.*) æquum esse, ut Clerici, salva ecclesiastica, *politico* in rebus profanis pareant imperio (*ibid. lit. b. not. z.*) Sed vid. quæ Bellarminus *lib. I. de Clericis cap. 30.* opponit.

y) Quæ enim contra adferuntur ex Sacra Scriptura uti *Psalm. CIV. 15 XLIV. 17. Math. XVII. 24. seq. I. ad Cor. VI. 2. seq. I. Petr. XI. 9.* aut de divina exemtionis personarum ecclesiasticarum in caussis profanis a potestate civili origine Joannis P. *Can. 11. Dist. 96* Bonifacii VIII. *cap. 4 de cens in 6. Lateranensis* Concilii V. sub Leone X. *Sess. IX Tridentini Sess. XXV. cap. 30 de reform.* testimonia, non modo consonam propositioni nostræ admittunt explicationem, uti apud Rigger *cit. loc. P. II. §. 519. seq.* Pehem *cit. loc. §. 711. seq* videre licet: verum etiam apertioribus scripturæ locis *Joan. XIX. 11. Act. XXV. 10. 11 Rom. XIII. 1 I. Petr. II. &c.* iisdem oppositis, ut minus valida ad probandum, quod adversarii intendunt, agnoscuntur.

z) Recole, quæ supra *Cap II §. I lit. b. not. z.*) ex SS. Patribus, & Pontificum epistolis descripsimus. Ex recentioribus audiamus S. Bernardum *epist. 42.* Archiepiscopum *Sennonensem* ita alloquentem: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esto; si omnis, & Vestra: quis vos excepit ab universalitate? si quis tentat excipere, conatur decipere.* Conf. Rigger *§. 448 & Schol.* item qui copiosius has materias tractant Thomas Del Bene *de immunit. & jurisdict. Eccles.* Felicianus de Oliva *de Foro Eccles.* Andreas Sausfay *Panopl. Cleric. lib. 6.*

IV. Ni-

IV. Nihilominus, & piisſimi Principes Clero Immunitatem perſonalem concederent, ſeu illum ab officiis, judiciis, ac pœnis civilibus eximerent olim, & adhucdum exemtum ſinant, rationes graviſſimæ adſignantur; nempe

a) officium *Pietatis* erga Patres & Magistros ſpirituales;
b) officium *Reverentiæ* erga Judices, & Rectores animarum;
c) officium *Religionis* erga Chriſti veros Miniſtros;
d) officium *grati Animi* erga Concives optime de Republica *meritos;*
e) & ipſa tandem clericalis Auctoritatis vix alio modo conſervandæ pro bono publico *neceſſitas.* a)

a) Nemo igitur ex illis, quæ *præced. n. III.* diximus, inferat: perſonas eccleſiaſticas æque ac laicas quoad cauſſas earum *profanas* æſtimandas, iisdemque plane legibus politicis, judicialibus, ac pænalibus ſubjiciendas eſſe. Quamvis enim necesſitatem immunitatum quarundam nec naturalis lex (*præced. not. x*) nec poſitiva divina (*præced. not. y*) oſtendat: eximi tamen a reliquorum Civium conditione voluntate Principum non modo poterant, ſed debebant etiam tot tantisque rationibus exemtionem eorum poscentibus. Et vero eſt ita ſane: teſte Sozomeno *hiſt. lib. I cap. 9* & Nicephoro *hiſt. eccles. lib. VII. cap 46.* primus, qui *illud plane maximum reverentiæ Imperatoris erga religionem argumentum* dederat, fuit Conſtantinus, *quod omnes ubique Clericos immunitate donaverit, & lege hac de re ſpecialiter data, litigantibus permiſerit, ut*

 ad

ad Episcoporum judicium provocarent, si Magistratus civiles rejicere vellent. Prima hæc sunt exemtionis vestigia, sed tenuia admodum. Vid. Rigger *cit. loc. P. II §. 527.* Auxere immunitatem hanc Successores in Imperio sensim ac sensim, donec tandem Justinianus Imp. collectis Antecessorum legibus, ac confirmatis, lites cujuscunque generis, quæ *Monachis & Monialibus* intenderentur, ad Episcopos transtulerit. *Novel.* 79. ac prohibuerit plane: *ne Episcopus in quacunque caussa civili ad secularem judicem trahatur: sed neque pro qualibet pecuniaria caussa vel criminali ad judicem civilem, aut militarem invitus produceretur. Novel 83. cap. 21.* item *Novel 123. cap 8* Vid. apud Gratian. *Causs XI. q. I. can. Nullus* Renovarunt has leges consequentium ætatum Imperatores ac Reges, uti Fridericus II. Imp. in *Constitutione* de statutis & consvetudinibus contra libertatem Ecclesiæ editis decernens: *ne ullus ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel civili trahere ad judicium seculare præsumat contra constitutiones imperiales, & canonicas sanctiones.* Inde desumta est Authentica *Statuimus Cod. de Episc. & Cler. lib. I. capitul. cap* 28. qua conformiter ad Can. 9. Concilii *Chalcedonensis* cavetur: *si clerici inter se negotium aliquod habuerint, a suo Episcopo dijudicatur, & non a secularibus.* At si ita: ergo poterunt Principes immunitatem, quam dederunt, denuo *revocare*! — Haud equidem; præterea enim, quod eædem rationes, ob quas data est, conservationem ejus exposcant: accedit, 1) Principum gratias, *perpetuas* esse decere: 2) hæc privilegia plerumque esse *remuneratoria* & longa *possessione* firmata: 3) privilegiorum horum concessionem, & conservationem adeo juri naturali, ac divino positivo congruam videri, ut in hunc sensum Van Espenius aliique Concilii *Tridentini Sess. XXV. cap. 20. de reform:* verba,

verba, quod perſonarum eccleſiaſticarum exemtio *Dei ordinatione* inſtituta ſit, explicent. Conf. Bellarmin: *lib. I. de Cler. cap. 30.* Ceterum facile ex hactenus dictis intelligitur: immunitatis hujus perſonalis privilegia non eadem ubique locorum eſſe. Quæ vero, aut qualia per Jus Canonicum eſſe debeant, jus privatum ſpeciatim exponit.

§. IV.

FINES UTRIUSQUE POTESTATIS CIRCA BONA ECCLESIASTICA.

I. Neceſſarii pro cultu Dei externo, ejusque Miniſtrorum alimonia reditus ne deficiant, Princeps curare *b*)

a) lege divina tum *naturali* tum *poſitiva* *c*)

b) ac ipſo etiam *Advocatiæ* titulo obligatur; *d*)

c) utriusque vero Reipublicæ bonum in illis ſubminiſtrandis nimiam damnat parſimoniam, & ſanam poſcit liberalitatem. *e*)

b) Cui aliunde ſalutis Reipublicæ, proin & præcipui ejusdem fulcri Religionis nempe veræ (*§. præced. I n. IV.*) cura incumbit. Satisfacit vero huic officio, dum aut bona, quæ jam Eccleſia poſſidet, eidem conſervat; aut ubi deficiunt, ipſa Eccleſiæ membra ad ea ſuppeditanda exemplo ſuo & legibus permovet. Conf. *præced. §. I. n. VI. not. m.*)

c) *Quali* enim jure Eccleſia hos reditus exigit, *tali* obligatione alii, Principes inprimis (*not. præced.*

 ad

ad eos procurandos adstringuntur; at jus illud Ecclesiæ ex lege naturæ, Mosaica, & divina Christi promanat, ut Paulus *I. Cor. IX 7. seq.* invictis totidem argumentis demonstravit: ergo & obligatio Principum ex eadem lege derivanda est. Aut unde, quæso, nisi ex lege naturæ cordibus inscripta agnovere gentes etiam barbaræ Numen quoddam colendum, ac Ministros ejus alendos esse. Conf. § *præced. I. n. VI. 2. not. o)* quæ ibidem Valerius Maximus de Romanis testatur.

d) *Advocati* enim Ecclesiæ *notio* non modo ab injuriis Religionem veram vindicandi, verum etiam mediis propriis perfectionem ejus promovendi officium involvit. Vid. *§. præced. I. n. V. lit. a.)* ibid. *n. VI. 2. lit. b.)*

e) Ut enim plura taceam, quæ Schenkl cit. loc. *§. 354 Schol.* urget, videmus præterea ex *nimia* in administrandis Ecclesiæ bonis *parsimonia* hæc passim mala generari: 1) Majestas exterioris divini cultus obscuratur; 2) Ministri Religionis alimoniæ curis distracti animum viresque suas ad populum, ea qua decet diligentia, in officiis Religionis, & Civitatis informandum intendere haut valent; 3) perpauci demum numerantur Viri, qui sola operarii in vinea Domini dignitate allecti egestatem Clericalem laicorum fortunis præferant, nominaque sua Clericorum Syllabo inscribi desiderent. Hæc, cum experientia teste verissima sint, probant sane: Ecclesiæ *liberaliter* suppeditandos esse proventus, vel ideo præterea, quod Clero multæ aliis communes acquirendi occasiones ob Ecclesiæ, & Reipublicæ bonum occludantur. Ne vero nimia liberalitas luxum pariat, *sana* sit oportet. Peraccommode ad rem dixerat S. Chrysostomus *lib. III. cap 16. de Sacerd. Magna provisione opus est, ut Ecclesiæ facultates neque redundent, neque rur-*

sus

sus desint. Sed quæ Ecclesiæ erogantur, continuo indigentibus sunt dispertiendæ. Ceterum in subditorum animis ac benevolentia sunt thesauri Ecclesiæ collocandi. — Præfectum ipsum largitorem decet esse circumspectum, ac prudentem, ut eos, qui bonis abundant, animet ad certatim etiam, atque hilariter bona sua eroganda.

II. Lex, qua Rector Civitatis certam bonorum speciem aut quantitatem ad Corpora vel Collegia quædam, tanquam ad *manus mortuas* seu perpetuas, sine speciali suo consensu transferri vetat, lex amortizationis nuncupatur. Hujus justitiam

a) Politici illorum Ecclesiæ Collegiorum respectu ægre persvadebunt, quæ publica ex bonis suis onera præstant, ac promta ferunt in Reipublicæ necessitatibus subsidia;

b) cum tamen damnum accedere Civitati posset, si nimia bona oneribus publicis subtraherentur, aut commercium minueretur, hinc legem hanc absolute iniquam dicere haud poterit, nisi qui omne jus cavendi Principi denegarit;

c) absente ergo tali a Republica periculo jus Corporibus quoque ecclesiasticis bona sibi modis legitimis adquirendi cum reliquis civibus æquale, ac illibatum permanebit;

d) prout e converso, si tale malum ex bonorum adquisitione Civitati immineat, lex prædicta Collegia tam Clericorum, quam Laicorum stringere ex æquo poterit. *f*)

f) Conf.

f) Conf. Schenkl *cit. loc.* § *355. Schol.* Leges *amortizationis* jure noſtro Regio conſtitutas continet cit. Codex *cit. P. Tit. XI. Sect. IV.* §. *197. ſeq.* item *Sect. XVIII.* §. *1183 ſeq.*; his tamen in favorem quarumdam in Sileſia Eccleſiæ Catholicæ Communitatum quæ territoria poſſident, derogatum eſt: utpote quibus ſingulari Regia ordinatione *15. Febr. an. 1795.* jus conceſſum eſt, dotem *mille imperiales* non ſuperantem ab illis acceptandi, quos ad profeſſionem regulæ Ordinis ſui admittunt.

III Bona Eccleſiis a primis jam ſeculis munificentia Principum donata, & inductis decimis, eccleſiaſticorum patrimoniis, provida adminiſtratione ac labore adaucta præcipue dividuntur

a) in *mobilia*, & *immobilia*;
b) *dotalia*, & *adventitia*;
c) *communia* & *particularia*;
d) *feudalia*, & *non feudalia*; g)

g) Bona *mobilia* dicuntur, quæ de loco in locum transferri poſſunt; ſin: *immobilia*; *dotalia*, quæ per primævas fundationes quaſi dotem Eccleſiæ conſtituunt; *adventitia*, quæ ſubin variis modis Eccleſiæ acceſſunt; *feudalia*, quorum dominium utile Eccleſia recepit, aut aliis dedit ſub conditione in feudis uſitata; *particularia*, quæ determinatis nonniſi: *communia* vero, quæ communibus Eccleſiæ uſibus deſtinata jam a donatoribus ſunt. Quo tempore, qua ratione quævis bonorum ſpecies ad Eccleſiam pervenerit, hiſtoria eccleſiaſtica exponit. Conf. Thomaſſin. *P. III. lib. 2. cap. 1. ſeq. uſque ad 32.* & Muratorius *Tom. V. antiquit: Italiæ med. ævi. diſſ.* 67.

IV.

IV. Bonorum iſtorum Dominium *proprietatis*, aut, ſi *feudalia* ſint, *utile* vel *directum* ipſis Eccleſiis vindicamus; nam

a) illi, qui bona hæc in Eccleſiarum favorem a ſe abdicarunt, ea voluerunt Deo eſſe *ſacra*, Eccleſiis *propria*, aut ſaltem *uſibus* ejus perpetuo deſtinata;

b) & hanc juris omnis in Eccleſias translationem donationum ſuarum *formulis*, junctis etiam in temeratores execrationibus, expreſſerunt; *h*)

c) quin aut natura rei, aut lex quædam obſiſtat, quominus tale Dominium transferri hoc modo potuerit; *i*)

d) unde nil proprietatis in hæc bona ad uſus ſacros donata Principi competit; *k*)

e) idemque tam parum Eccleſiis, quam cuidam Privato, aut alteri Collegio bona ejusmodi eripere, vel aliis uſibus deſtinare jure *ordinario* poterit *l*)

h) Ejusmodi *formulas* magno numero collegerunt Marculphus, Sirmondus, Bignonius Lindenbrochius, Mabillonius, Baluzius aliique. Occurrunt in iis perpetuo hæc ſimiliaque verba: *Bona a mea proprietate transfero; ſicut mihi pertinent proprietario jure, ita in proprietate prædictæ eccleſiæ permaneant; a jure noſtro alienamus ſupradicto monaſterio, ut ea pleno jure habeat, & teneat jure proprietatis & allodii in perpetuum.* &c. aliquando *Sanctis ſe donare* ajunt aut *Chriſto* imo *Deo & Eccleſiis ſimul*, nempe, ut Carolus M. *lib. VI. Capitular.* 404. inquit: *Quia Chriſtum & Eccleſiam unam perſonam eſſe veraciter agnoscimus, quæcunque Eccle-*

Ecclesiæ sunt, Christi sunt, & quæ Ecclesiæ offeruntur, Christo offeruntur; & quæ ab Ecclesia ejus tolluntur, procul dubio Christo tolluntur. Nemo sane erit, qui ex his seriam donantium voluntatem non agnosceret, rei donatæ dominium in Ecclesiam transferendi.

i) Non obsistit 1) *natura rei:* nam & Ecclesia ejusmodi bonis indiget, ac proin & jus habet eadem acceptandi (*præced. n. I.*) hæc ipsa bona apta sunt ad Ecclesiæ perfectionem augendam, cum sine illis cultus divinus exterior haud intelligi possit; ipsi denique rerum domini jure gaudent de earum substantia, & consectariis pro arbitrio disponendi (*ex definit. dominii*) 2) aut *lex quædam*; quæ enim? an naturalis? at in ipsa Ecclesiæ, rerum, aut dominii notione nil continetur, quod translationem proprietatis rerum vetet (*præced. n. 1.*) an positiva divina? at hanc quidem ignoro: præcipue vel ideo, quod paupertatis evangelicæ consilia, aut turpis terrestrium bonorum cupiditatis prohibitiones a legibus necessariarum rerum proprietatem vetantibus discernendas esse putem; an humana? at amortizationis leges, liberalior in Ecclesiam ætas nondum noverat, & quæ recentioribus temporibus latae sunt, acquisitionem proprietatis restringunt quidem, at ne servato etiam moderamine locum habeat, haud statuunt. Conf. *præced. n. II. & not. f.*)

k) Sed sunt potius spectato *fine* Dei, spectato *usu* Ministrorum, spectata *proprietate* ecclesiarum particularium; quod sequente argumento illustratur: illius hæc bona sunt, cui priores eorum domini ea donare, & poterant, & volebant; sed volebant ea donare *Ecclesiæ*, ut personae morali cui reliquorum Civium acquirendi jura denegari juste haud possunt, ut habeat, unde *Ministros Religionis* alat, necessitatibus pauperum subveniat,

veniat, templorum fabricas, aliaque ad *cultum Dei* externum necessaria conservet; Vid. supra formulas donationum *not. h*) poterant etiam illa hunc in scopum donare: erant enim eorum domini; nullaque lex obstitit, quominus de eorum substantia, & consectariis pro arbitrio disponere valuissent; cum praeterea ipsa Ecclesia *jus acceptandi* habuerit Conf. *nota. præced. i*) & jure hoc eam uti voluisse dubitari haud possit, patet asserti veritas. Conf. Natal. Alexander *hist. eccles Sec. XV. diss. IX. art. 6. n. 13.* Consentiunt e Protestantibus etiam J N. Doctores varii: *Corpora*, ait inter ceteros Just. Hennig: Boehmer *Jur. publ univ. P. II. lib. II. cap. 10 § 7, Collegia, Universitates instar privatorum, & subditorum judicantur, & bona eorum non sunt bona Reipublicæ, sed privata.* Et ibid. *lib III. cap. 3 n 5 Possident bona in commune; unde respectu imperantis ad instar privatorum sunt. Quæ bona — ad pagum, ad vicum* (ad Ecclesiam & ecclesiasticam Universitatem) *spectant, sunt in ejus patrimonio, nec confundenda cum bonis Reipublicæ; sunt tamen suo modo publica, quatenus Imperanti plus juris in illa competit, quam in singulorum patrimonium, cum ejus intersit, hæc bona universitatis perpetuo conservari, & bene administrari; plura sunt permissa singulis in res proprias, quam universitati in suas.* Apertius idem de bonis Ecclesiae docet Wolfsius *Inst. J. N. & Gent. § 1025. 1026. & 1065.* Conf vero etiam Auct. *Comment. de finibus utriusque potest cap. 14.* ubi vel ex solo hoc titulo: quod Ecclesiae in temporalibus velut Collegia, & personae privatae spectentur, legitime inferri ostendit, proprietatem bonorum iisdem, excluso ab ea Principe, vindicandam esse.

l) Conclusio hæc sponte sua ex hactenus dictis profluit. Longe pluribus argumentis veritatem

ejusdem

ejusdem probavit Lud. Behlen *dissert. de causs: secularib. illegit. & legitim.* exstat. in *Thesaur. J. E. Tom. VI. n. 3.* item Schlettwein die Gerechtigkeit in Absicht auf die Klöster rc.

V. Jure vero *extraordinario eminenti*, seu alto Domino *m)* in bona Ecclesiarum Princeps haud uti poterit, nisi sub his conditionibus, ut

a) bona ad cultum Dei vel usus sacros plane *necessaria* semper ab hoc dominio eximantur;

b) *utilia* vero non ratione meræ ex parte Reipublicæ utilitatis, sed *veræ*, *communis*, ac *manifestæ* necessitatis, alio modo haud sublevandæ, ita quidem ad alia impendantur, *o)*

c) ut debita semper inter Ecclesias & reliquos cives proportio servetur, sine qua nullus *eminenti* Dominio locus datur; *p)*

d) tandem ut non *via facti*, sed inito etiam cum Rectoribus Ecclesiæ *consilio* procedatur, qui, ut Princeps de Reipublicæ, ita de Ecclesiæ necessitatibus judicabunt. *q)*

m) Jus disponendi de *rebus* propriis civium salutis publicae caussa in casu necessitatis dicitur *Dominum eminens*: jus vero eadem de caussa in casu necessitatis disponendi de ipsis *personis* Civium *potestas eminens*: utrumque conjunctim *jus eminens*, in res scilicet & personas Civium audit. Jus istud jus quoddam *necessitatis* est, nec locum habet, nisi quando ejus usus est medium unicum salutis publicae in casu emergen-

te promovendæ, Wolff *Inst. J. N. & G. §. 1065.* At tum subditi, quorum bona ad usum publicum sunt applicata, indemnes habeantur, ne aliqui plus ceteris graventur. Bened. Schmidt *Princ. Jur. Germ. lib. II tit. 2 §. 6.*

n) Necessaria enim Religionis necessariis Civitatis præferenda sunt, *§ præced. I. n. II.* Conf. etiam Behlen *cit. loc. § 75.*

o) Etiam utilia Religionis utilibus Civitatis præferenda sunt. *§ præced. I. n. II. lit. c)* ob solam ergo Reipublicæ utilitatem utilia Ecclesiæ in usus profanos impendi non debent Necessitas adsit oportet · illaque non ficta, atque adeo urgens, ut alio medio salus publica conservari non possit. Conf. *not. præced. m.)* item Behlen *cit. loc. § 48.*

p) Præterea enim, quod 1) bonis Ecclesiarum varia privilegia concessa sint, non item bonis privatorum, quæ magis illa, quam hæc gravari vetant; 2) quod bona Ecclesiæ eo ipso, quod Religionis & Ecclesiæ saluti impendantur, jam bonum publicum etiam Reipublicæ, vi *§ præced. I. n. IV. lit. a)* promoveant, ac vel inde minus necesse sit eadem Ecclesiæ ob salutis publicæ periculum adimere; accedit & illud: Ecclesiam ut personam moralem spectatam juribus saltem aliorum in Republica Collegiorum privatorum, si non plane Civium bene meritorum, debere gaudere; (vid. quæ *not. præced. k)* ex Boehmero & Wolffio descripsimus) quapropter æquitati summe consonum esse servari proportionem inter Ecclesias & reliquos cives, quotiescunque dominio eminenti bona quædam in Reipublicæ usus impenduntur.

q) Conf. §. *præced. I n. II. lit. e)* item Wolffiu *Inst. J. N. & G §. 1065.*, ubi conditionem hanc sequentibus verbis necessariam esse declarat: *Vi*

 de-

dominii eminentis etiam de rebus ſacris & eccleſiaſticis disponere poteſt Superior, non tamen ſine conſenſu ejus, qui jus circa ſacra habet, ſi id a regimine ſeculari fuerit ſejunctum. His conditionibus circumſcriptum eminens dominium Principibus tute dari poſſe, nemo forſan erit, qui dubitet. Nam 1) erant hæc bona eccleſiaſtica iis ſubjecta ante oblationem in favorem Religionis factam; 2) per oblationem autem hanc ſuam non exuerunt omnino naturam; 3) nec in tertii privati, minus in Reipublicæ præjudicium quisquam bona Deo offerre poteſt, nec ea Deus acceptat, *odio habens rapinam in holocauſto;* 4) publico protectionis politicæ beneficio fruuntur cum aliis, cur ergo ad publicæ protectionis ſuſtentationem non ſerviant? 5) a Republica profecta ſunt, quare ſaltem in caſu neceſſitatis, quem ſemper exceptum voluiſſe Donatores dubium non eſt, in eadem jus quoddam retinet. Ceterum ævo jam ſuo advertit Carolus M: *multas regiones, quæ rerum eccleſiaſticarum invaſiones, vaſtationes — ſectatæ fuerunt, nec in bello ſeculari fortes, nec in fide diu ſtabiles perſtitiſſe:* unde arguit: *neminem audere eas dare, vaſtare, aut accipere absque proprii Episcopi juſſione.* Cap III. Carol. & Ludov. apud Georgisch *Corp. Jur. Germ: ant. col.* 798. *ſeq.*

VI. Quod immunitatem realem bonorum a tributis, collectis, oneribus &c. adtinet, advertendum

1) circa bona eccleſiaſtica *in genere*, ea

a) ſiquidem Eccleſiæ uſibus omnino *neceſſaria* ſint, jure *divino* eſſe plane immunia; *r*)

b) ceterorum vero bonorum immunitas ſoli Principum liberalitati debetur, *s*)

c) quæ

c) quæ bona, præſertim *dotalia*, ab omnibus tributis, *reliqua* vero ſæpe a communibus, vel ab extraordinariis ſaltem collectis exemit; *t*)

d) quod privilegium ut conſervetur, ſi modo favor iſte in grave civium reliquorum detrimentum non cedat, iisdem, quas pro immunitate *perſonali* ſupra adduximus, rationibus perſvadetur; *u*)

e) imo in *Germania* pro hac immunitate Sanctiones quoque pugnant, non *Iſidori* mercibus adſcribendæ, ſed jam per *Capitularia* ſtabilitæ, & ab Imperatoribus dein *propriæ Clementiæ motu* confirmatæ. *v*)

r) Conſtitutæ erant olim Levitis decimæ ita, *ut nihil aliud poſſideant*; has vero Deus ab omnibus oneribus exemtas voluit. *Num: XVIII. Exod XVII.* cur igitur Clerici noſtri non eadem immunitate quoad res *neceſſarias* gaudeant? Jure naturæ, & divino poſitivo cultus Dei externus ordinatus eſt; eodem jure Clerici alimenta *neceſſaria*, & Eccleſia reditus expoſcunt. *I. Cor. IX. 7. ſeq.* eodem igitur etiam jure *neceſſaria* hæc ab oneribus immunia eſſe debent. Conf. *§. præced. I. n. II. lit. b*)

s) Non enim derivari poteſt 1) ex jure *naturæ*, quod publicum univerſale vocamus: id enim Principibus facultatem tribuit neceſſaria ad finem Civitatis obtinendum media ex *utilibus* civium, & Eccleſiæ etiam rebus (*vid. not præced. p. q*) hauriendi; 2) nec ex jure *poſitivo divino*: quod *neceſſaria* ſolummodo ab oneribus immunia declarat, at aliud longe de *ſuperfluis* non uno in loco docet. Conf. Joan. *XVIII, 33.* Math. *XXVII. 11.* Marc. *XV. 2.* Luc. *XXIII. 4.* ad

Rom. *XIII. 1 seq.* ad Tit. *III. 1. II.* Petr. *II. 13.* & Cornelii a Lapide in Math. *XXII. 21. comment:* 3) nec ex jure *humano ecclesiastico:* quæ enim ex Conciliis *Lateranensi III can. 19. Lateranensi IV. can 46 Constantiensi Sess. XIX. Lateranensi V. Sess. IX. X. Tridentino Sess. XXV. cap. 20.* tandem ex ipso etiam *Corpore Jur. Can.* & Pontificum *Constitutionibus* adferuntur, tanta haud sunt, ut majorem accomodæ explicationis difficultatem pariant. Quæ hac in re *SS. Patrum* fuerit persvasio, unus loco omnium doceat S. Ambrosius jurium ecclesiasticorum, ut *præced.: §. I. n. VI. not. l)* vidimus, strenuus alias propugnator: ita vero ille in *Comment: ad cap. V. Luc. lib IV. cap penult: Si censum filius Dei solvit, qui tu tantus es, qui non putes solvendum? — si tu vis non esse Cæsari obnoxius, noli habere, quæ mundi sunt: si habes divitias obnoxius es Cæsari.* Et alibi apud Gratian: *can. 27. Caus. XI Q. I Si tributum petit Imperator, non negamus. agri Ecclesiæ solvunt tributum.* Scio equidem, plura tum ex veteri, tum ex novo Testamento contra hactenus dicta passim objici. Ita adducunt 1) ex *vetori testamento* Pharaonem *Genes XLVII 22.* & Artaxerxem *I. Esdræ VII 24.* quos, ajunt, sola ratio docuit, Sacerdotibus immunitatem indulgere; 2) ex *novo* Math. *XVII 24 & seq.* Sed enim vid. apud Paulum a Rigger *cit. loc. P. III. §. 896. seq* quid ad singula respondendum. — Quæ cum ita sint, consequitur jam: immunitatem hancce *realem* Principum in Ecclesiam liberalitati adscribendam esse; quod ex documentis historicis, ipsorumque Imperatorum, a Constantino M. usque ad *Justinianum*, legibus erudite explicavit cit. Rigger *cit. loc. §. 882. seq.*

t) Ut ex argumento legum ab eodem Rigger *cit. loc.* indicatarum abunde patet,

u) Vid. supr. §. III. *præced. n. IV. not. Non est vero sane hodie,* ait Maur. Schenkl. *cit. loc.* §. 365. *Schol 1) cur ob exemtionis privilegia bona ecclesiastica Reipublicæ inutilia dicantur. Quid prosint, ni magnopere affectent ignorare, sciunt opifices, pauperes, nobiles, Principes, eo quod tum gratuitis donis, tum præstitis tributis, tum extraordinariis suo tempore subsidiis Status ecclesiasticus Reipublicæ adeo non deest, ut multos alios hac re superasse æquis rerum æstimatoribus videatur.*

v) Inter Imperatores Fridericus II. imprimis immunitatem hanc innovavit, ut constat. ex Authent. *Statuimus, ut nullus.* Item *Nulla communitas.* Cod *de Episc & Cleric.* Conf. Dissert. *de vero libert. eccles. Germ. fundam.* exstat. *Thesaur. J. E. Tom. V. n. 11.*

2) Circa bona feudalia *in specie x*) patet,

a) moribus Germaniæ Clerum feudorum etiam regalium capacem æstimari y) ac proin

b) ultro consequitur, Ecclesiarum Rectores ob hæcce bona ad cognoscendam Domini *directi* jurisdictionem, & præstanda ex feudo *servitia* obligari; z)

c) dominium porro *utile* penes ipsam Ecclesiam esse, cujus Prælatus ceu Administrator *a*) ob *feloniam* quidem administratione sua exui, haud tamen Ecclesia innocens privari feudo potest. *b*)

x) Juvat notionem *feudi*, & quæ ad istud pertinent, præmittere. *Feudum* itaque dicitur dominium utile a Domino in re sua alteri sub fidelitatis conditione concessum. Porro is, qui in re feudali dominium directum habet, *Dominus feudi*;

qui dominium utile tenet, *Vasallus* appellatur. Igitur diverso plane significatu *bona feudalia* Ecclesiæ dicuntur tum bona, in quibus Ecclesia utile, tum bona, in quibus directum habet dominium. *Obligatio feudalis* est, quæ ex contractu feudali oritur: factum omne huic obligationi contrarium *felonia* audit. Wolff. *cit. loc. P. II. cap. XVI. a §. 736.*

y) Capacitatem hanc supponit 1) Concordatum *Callistinum*, dum statuit: *ut Electus Regalia per sceptrum ab Imperatore recipiat & quæ ex his jure eidem debet, faciat. Instr Concordat.* ex parte Pontificis; 2) testantur eandem *concessiones feudorum* a temporibus extinctæ Carolingicæ stirpis teutonicæ, & quam maxime sub Imperatoribus Henrico Aucupe, Ottone M. Henrico S. usitatæ, atque ad nostram usque ætatem repetitæ. Conf. *præced. n. IV.* ubi aliunde jus Ecclesiæ vindicavimus dominium acquirendi. Qua vero occasione primum bona Principum in feudum Ecclesiæ data sint, vid. apud Biner *thesaur. erudit. P. III. pag. 131. 132. §. I. n. 1. 2.*

z) Sequitur id ex notione feudi *not præced. x)* & Concordati *Callistini* postremis supra citatis verbis. *not. præced. y)*

a) Prælatos non nisi *Administratores* feudorum esse, dominium vero utile penes ipsam Ecclesiam residere, eruitur 1) ex communi *Decretalium* de Clericorum circa bona beneficialia juribus *doctrina*, quæ in jure privato exponetur, & ex qua interim *c. 2 de donat.* attulisse sufficiet, ubi dicitur: *quod Episcopus, & quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non Dominus*; 2) ex ipsis *donationum formulis*, & tractatuum feudalium verbis apud Mabillonium Baluzium aliosque,

b) Etsi

b) Etsi Vasallus, penes quem dominium utile est, ob feloniam feudum amittat, propterea tamen jure suo in feudum non privatur innocens, ad quem post mortem prioris devolvitur; Wolff. *cit. loc.* §. 747. ergo nec Ecclesia privari potest juribus suis, quamvis Administrator feudi administratione excidat; *nemini enim factum alienum imputatur.* Inde, est, quod Electore *Coloniensi* per Josephum I. Imp. proscripto feudum Ecclesiæ non ademtum: sed ejus administratio Capitulo fuerit commissa.

VII. Administrationem bonorum Ecclesiæ

a) ipsos primitus Apostolos & Episcopos per se aut suos Ministros exercuisse legimus; *c*)

b) et vero recte præsumitur, illos, qui sua bona contulerunt Ecclesiis, cum ipso dominio sacris Collegiis tradito Administrationem quoque eorundem, nisi eam expresse sibi reservaverint, Ecclesiarum Rectoribus reliquisse; *d*)

c) unde & recte hodiedum bona Collegiorum, aut Monasteriorum ab eorum Prælatis plerumque *privative* administrantur; *e*)

d) nec summo etiam Pontifici abnuenda suprema *inspectio* est ac jurisdictio, quæ potestatem importet leges pro rerum adjunctis circa ejusmodi bona ferendi, aut Canones exequendi; *f*)

e) ipsique in suis Diœcesibus Episcopi præcipuam similiter bonorum istorum curam gerant; *g*)

f) hac tamen semper cautela, ne locorum consvetudines aut privilegia absque necessitate violentur. *h*)

c) De Apostolis quidem legimus id in *Act. apost. cap. 6.* qui tamen ut orationi & ministerio Verbi divini instare possent, septem constituerunt Diaconos, qui singulis necessaria ministrarent, *ibidem:* de Episcopis vero in Concilio *Chalcedonensi* Generali an. 451. *Can 26.* quibus eodem Can. Oeconomi de proprio Clero adjuncti sunt, *qui gubernarent res cum arbitrio sui Episcopi, ut non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum Ecclesiasticarum, & ex hoc eveniat res ejusmodi Ecclesiæ dispergi, & Sacerdotali dignitati obtrectatio generetur:* imo seculo adhuc VIII. in Concilii *Francofordiensi* an 794. Canone 48, quo statuitur: De oblationibus, quæ in Ecclesiæ, vel in usus pauperum conferuntur *canonicam observandam* esse *normam*, ut non ab aliis dispensentur, *nisi cui Episcopus ordinavit.* Hæc & innumera alia testimonia apud Thomassinum *cit loc. P. III. lib. II cap. 1 — 12.* dubitare nequaquam sinunt: bonorum ecclesiasticorum administrationem olim penes Episcopos stetisse, eorundem supremæ inspectioni, & sollicitudini illos fuisse subjectos, quibus cum usufructu administrationem bonorum relinquebant Conf. Zech de *Jure Rerum Eccles. P. II. Sect. III. Tit. VI.*

d) Non est enim verosimile pios illos Christianos, qui emolumenta rerum suarum in Ecclesiam transtulerunt, molestias administrationis earundem aut sibi, aut aliis præter Ecclesiæ Rectores reservare voluisse: præcipue cum non ignorarent, quam bene legibus ecclesiasticis provisum sit, ut bona hæc non nisi in saluberrimos usus administrentur; ergo nec præsumendum istud est, nisi ex ipsis Donantium verbis aperte contrarium ostendatur.

e) Quod nec Donantium voluntati, nec Ecclesiæ bono (*not. præced.*) nec primitivæ Ecclesiæ, imo nec ipsorum Apostolorum moribus (*not. præced. c*) adversatur, id cur ætate nostra minus rectum dicatur, ego quidem haud satis intelligo. Consonat Concilium *Tridentinum Sess. XXIV. cap. 16. de reform.* item quoad Superiores Regularium *Sess. XXV. cap 2. de reform.*

f) Jure hoc usus est seculo jam V. Simplicius P. divisionem redituum Ecclesiasticorum per Occidentem in quatuor partes inculcans *epist. 3. alias 4.* a Gratiano *Caus. XII Q. II. Can, 28.* relata: item Gelasius P. an 464. idem mandatum repetens *epist. 6.* apud Gratianum *ibid C. 27.* & futuris etiam Ecclesiæ necessitatibus media disponens apud Eundem *C. 23.* serius demum Innocentius XII. *Constitut. an. 1692.* edita, qua abusus circa donationes & distributiones redituum Ecclesiae in Consanguineos, & Affines, aliosque, quibus non competunt, reformare intendebat. Non excessisse propterea Romanos Pontificis potestatis suae *essentialis* limites ex *Cap. I. §. I. n. IV. lit. b. d. f.* colligitur.

g) Vi Concilii *Tridentini Sess. XXII. cap. 8. & 9. de reform.* extenditur haec Episcopalis cura ad *omnes pias* in Diœcesi sua *dispositiones.* Ac rectissime quidem: est enim Episcopus Diœceseos Rector (*Act. XX. 28.*) at Rectoris est apta ad finem media disponere (*ex definit.*) ergo & Episcopi curare, ne, quae praesto sunt, ad cultum divinum decore celebrandum, ad Ministros honeste sustentandos, ad pauperes alendos necessaria media unquam deficiant.

h) Consvetudo enim & privilegium jus pariunt; vid. *proleg. §. V. n. III IV.* sed jura aliena absque necessitate violari non debent. Nec obstat, quod Concilium *Tridentinum* ad finem *cit Sess.*

 XXII.

XXII. cap 8. edixerit: *Non obstantibus quacunque consvetudine, etiam immemorabili, privilegio aut statuto*; nec enim verba haec ita intelligenda esse puto, quasi Episcopus omnem bonorum ecclesiasticorum administrationem aliis se inferioribus consvetudine, aut privilegio concreditam sibi, excludendo illos, arrogare deberet. Praeterea enim quod aequitatis servandae studiosissimum Concilium, cuique jura sua, quae adimere nec utile magis, nec necessarium videbatur, integra esse voluerit, ut vel ex ipsa exceptione bonorum sub immediata Principum protectione positorum clarum est; (*cap eod.*) habuit quoque, ut alias vidimus *Cap. I. §. X n. III, lit. c. not. k.*) exemtionum quarundam Regularibus competentium rationem, quarum abrogandarum nullum jus Episcopis concessit, quoad alias vero plerumque non nisi restricta *Sedis Romanæ Delegati* jura indulsit. Dicendum igitur potius est: Concilium *Tridentinum* consvetudines abrogare voluisse conservationi bonorum ecclesiasticorum *noxias*, &, ubi aliae vigent, Episcopis *jus visitandi, cumulative administrandi, negligentiam aliorum supplendi*, aut demum *invigilandi*, ut omnia recte administrentur, salvis tamen aliorum juribus contulisse. Illuc, ni fallor, recidit argumentum Capitum hactenus ex Concilio *Tridentino* citatorum, item Declarationum ad ea pertinentium, & ipsius etiam tit: de religios: domibus C: *Quia contingit: in Clement. lib. III.* Quæ cum ita sint: citra injuriam Archiepiscopis Germaniæ objicitur, majorem eos sibi, quam decuit, facultatem adtribuere voluisse, dum in conventu *Confluentiæ* primum, postea in *Thermis Emsanis* celebrato omnes pias caussas, non expetito etiam eorum, quorum interest, consensu, vel consilio, immutandi jus sibi convenire affirmabant. Conf. Cosmæ Schmalfus *Hist. Relig: & Eccles. christ: Tom.* V.

V. Sect. VIII. §. 12. n. 13. Quod modum administrandi bona ecclesiastica in Diœcesi nostra adtinet: leges hactenus relatæ fere plene observantur. Nempe administratio *Bonorum parochialium* Parochis, & Senioribus (Kirch-Väter) quoad plurima, si Ecclesia sit patronata, a Patrono dependentibus: aliorum bonorum *beneficialium* Beneficiatis: bonorum *collegialium* Collegiis: *Monasteriorum* harum Ecclesiarum Prælatis: *Episcopalium* Episcopo relicta est, salva tamen suprema Principis inspectione, & Episcopi in subordinatos Administratores auctoritate, ad quem & *hospitalium, orphanotrophiorum, confraternitatum,* & aliarum communitatum piarum, siquidem auctoritate, & consensu Episcopali erectæ sint, quoad bona etiam earum cura regulariter pertinet. Administrationis hujus singulares ex jure Regio determinationes vid. *cit. Cod. P. II. tit. XI. Sect. IV. IX. XII.*

VIII. Dantur præterea Bonorum Ecclesiæ Advocati secundarii.

1) Horum species præcipuæ:

a) Advocati *Protectores;* (Schutz- und Schirm-Vögte.)

b) *Forenses* (Gerichts-Vögte) ad caussas in foro contentioso defendendas, aut ipsam quandoqne jurisdictionem vice Ecclesiarum exercendam destinati, unde & *Vicedomini* appellantur;

c) *Oeconomici* (Kasten- oder Kassen-Vögte.) *i*)

i) Quid nomina hæc significent, vid: apud Schenkl *cit. loc. §. 368. Schol.* Apud nos non obveniunt,

unt, cum hujusmodi Advocatorum officia partim Patronorum, partim Parochorum aut Seniorum, aliorumque Administratorum muniis non incommode adhæreant. De *origine* Advocatorum Ecclesiæ legatur Rigger *cit. loc. P. III. §. 689.*

2) Jura eorundem

a) a *Diplomatis*, *Pactis*, *Observantia* & *Privilegiis* dimetienda sunt;

b) communi autem sententia Advocatia ejusmodi secundaria *Jurisdictionem territorialem* non tribuit. *k*)

k) Conf. Schenkl *cit. mox loc. Schol.* 2.

3) Commodum ex his

a) *prioribus* equidem temporibus *maximum* expertæ sunt Ecclesiæ;

b) Sed cum paullatim munus hocce inique in *commercium* & *contractus* deduceretur, ac in *tyrannidem* desctsceret, in summum sæpe periculum a *Subadvocatis* præcipue, Sec. XI. exortis, adductæ fuerunt;

c) unde ab hoc onere libertatem Prælati ceu maximum beneficium precibus suis plerumque impetrarunt; *Subadvocati* vero Friderici II. & Hadriani III. jussu abrogati sunt. *l*)

l) Conf. Martin. Mager *Cap.* 23. *de advocat. armata.* item Guss. *Vindic. jur. stat. eccles. P. I. Sect. II. cap.* 2. §. 6.

§ V.

§. V.

FINES UTRIUSQUE POTESTATIS CIRCA CAUSSAS ECCLESIASTICAS.

I. Generales circa has caussas regulæ §. I. n. III. hujus Capitis adsignatæ ut applicari facilius possint, paullo accuratius hic exponendæ; unde

1) quoad caussas spirituales *proprie tales*, seu eas, quæ ad fidem, Sacramenta, liturgiam, votorum obligationem &c. pertinent notandum,

a) eas ad forum *ecclesiasticum privative* ita pertinere, ut nec connexionis, præventionis, prorogationis, nec alio quocunque titulo ad forum civile trahi possint;

b) quod & in *Ordine Judicii Cameræ Imperialis* Parte II. Tit. 1. §. 1. & *Capitulatione Cæsarea* Art. I. §. 11. & Art. XIV. §. 5. cautum est. *m*)

m) Et aliunde ex *§ I. n. III. lit. a.* hujus cap., & prolegom. *Cap. I. §. II n. II. lit. a*) sponte sua promanat. Sunt nihilominus Juris Doctores quidam, qui Principi potestatem *vota* Civium *examinandi*, eaque, si Reipublicæ noceant, *irritandi* adstruunt. Non est hic locus argumenta, quibus hæc opinio nititur, aut convellitur, ponderandi; id unum dicam; videri nempe mihi falso supposito eandem laborare. Num enim id jure votum, ceu *promissio Deo facta de re meliore* dici potest, quod Reipublicæ nocet & Ecclesiæ nihil prodest? atqui non nisi hoc in casu Principi jus irritandi promissionem subditi conveniret

veniret, vi principii §. *I. n. II, lit. e. huj. Cap.* præmissi: ergo exequendo jus istud non votum, sed promissionem impiam, quæ scelere adimpleretur, irritaret seu irritam ex natura sua eam fuisse declararet. Quod Principibus, dummodo cautela in æstimandis utilitatis gradibus adhibenda (*ibid. lit. e.*) observetur, tute tribui potest, quin eapropter facultas tribuatur *vota* Civium *proprie talia irritandi.*

2) Caussæ vero *propter nexum* spirituales *n*) ut sponsalia, Jus Patronatus, Electionis, Institutionis in beneficia, Sepulturæ, Decimarum &c.

a) quantum ad ea, quæ a spiritualibus *separari* queunt, a *civili* potestate sæpius dijudicantur, uti quæstiones *nudi facti* & *possessionis*; *o*)

b) ubi tamen male quidam decisa quæstione *possessorii*, quæstionem *petitorii* seu de *jure & proprietate* &c. quasi jam decisam arbitrantur; *p*)

c) quantum vero ad caussas *mixtas* sed *inseparabiles*, potestas utique *soli* Ecclesiæ addicenda foret, cum Laici exercendæ Jurisdictionis spiritualis incapaces existant;

d) quamvis, ut ad vota utriusque Potestatis lites finiantur, optimum in *amica compositione* & vix non unicum, quoad caussas mixtas & dubias, remedium quæri debeat, quod & Cæsar in Capitulationis Art. XIV. §. 5. se adhibiturum promittit.

n) Dicun

n) Dicuntur etiam *accessorie spirituales*, & versantur circa ea, quæ spiritualibus connexa sunt, id est: quæ spirituale præcedunt, comitantur, vel consequuntur.

o) Ita e. gr. judicat Princeps de dote, alimentatione prolis, hæreditate, electi nobilitate, utpote separabilibus a quæstione de valore matrimonii, professionis, electionis, de qua Ecclesia judicat; item definire potest Princeps, an quispiam electus, matrimonio junctus, ordinatus sit, sunt enim hæ quæstiones nudi facti; at an legitime valideque electus, matrimonio junctus sit, quæstiones juris sunt accessorie spirituales: pertinent igitur ad Ecclesiam.

p) Conf. Barthel. *Annot. in P. Engel ad Tit. de foro competente:* ubi recte observat, limites potestatis suæ transilire Judicem civilem, qui has de possessione vel facto quæstiones ita instruit, ut petitorium seu quæstio de jure & proprietate penitus evacuetur, & illo deciso, istud decisum quoque sit.

3) Caussæ solum *per relationem* spirituales, v. g. ob peccatum, juramentum, denegatam justitiam &c. *q)*

a) ex falsa persvasione sæpius ad forum sacrum deductæ innumeras querelas excitarunt; *r)*

b) sed vel ex eo solum foro politico relinquendæ videntur, quod secus omnes fere caussæ ex hoc titulo ad judices sacros pertrahi possent, *s)* neque tamen Christus sacro constituto Imperio civile Regimen extinxerit; *t)*

c) inte-

c) interim peccatores pænis spiritualibus in foro *interno*, aut etiam *externo*, si crimina *publica* & cum *scandalo* conjuncta sint, coercendi jus illæsum Ecclesiæ manet, judiciis rerum temporalium foro civili nihilominus relictis. *u*)

q) Permixtis seculo IX. varia occasione potestatis civilis & ecclesiasticæ limitibus plures caussæ, utut temporales diversis titulis ad forum ecclesiasticum tractæ sunt, nempe 1) titulo *peccati* vel peccandi periculi C. *13 de judiciis*; 2) titulo *juramenti. Ibidem*; & *C. 3. de foro compet. in 6.* 3) titulo denegatæ aut protractae *justitiæ C. 6* & *10, de foro compet.* 4) titulo *protectionis* miserabilibus personis ab Ecclesia debitae C *13 de Judic.* &c. Caussae tales vocantur *per accidens spirituales.*

r) Ut satis superque commonstrant 1) gravamina nationis Germanicae, & querelæ Principum apud Schilterum *de libert. eccles. Germ. lib. VII. cap. 2:* 2) Leges & remedia harum caussarum in foro ecclesiastico pertractationi in *Recess Imp. an. 1654 Capitulat. Cæsar. Art. XIV. §. 4* opposita, quorum integrum Catalogum exhibet Struvius *Corp. Jur. Publ. Cap XXIX. §. 90.* Conf. Zallwein *Tom IV. Q III. §. 44.*

s) Quae enim datur circa res temporales lis, in qua unus alterve horum titulorum aut re ipsa non adesset, aut excogitari saltem non posset? Conf. Schenkl *§. 375. Schol. 1.*

t) Adde hujusmodi jurisdictionem per octo priora Ecclesiae secula ignotam prorsus fuisse: quaecunque enim pro ea Ecclesiae asserenda ex Decretalibus citantur leges, aut arbitros tantum Episcopos esse volunt, aut recentioris aevi sunt. Porro exercitium illius invita Republica reten-

tum magis ad confundendos utriusque potestatis limites, ad turbandam potius & Ecclesiam & Rempublicam, quam ad eam juvandam valere.

u) Conf. Fleury *Dissert. VII. in hist. eccles.* §. 10.

II. Quod vero Praxin circa hæc hactenus observatam adtinet, notasse juvabit;

a) primis Ecclesiæ temporibus caussas civiles quoque juxta D. Pauli consilium I. Cor. VI. & accedente postea Constantini M. aliorumque Imperatorum adsensu Episcopis tanquam Arbitris, scandali evitandi caussa, fuisse subjectas; *v*)

b) quorum auctoritas in his caussis ampliora sensim usque ad seculum VIII. incrementa cepit, *x*)

c) donec invecto judiciis Ecclesiarum fori strepitu y) & jurisdictione *quasi propria* a summo Clero usurpata, caussæ politicæ ad forum politicum denuo reducerentur; *z*)

d) variante tamen hincinde regionum observantia; unde in quibusdam etiam Germaniæ Diœcesibus civiles caussæ ad forum *Officialis* deducuntur, recursu tamen ad Curiam vel Nuntios Pontificios inhibito, & summis Imperii Tribunalibus reservato. *a*)

v) De Constantino testatur id Sozomenus *lib. I. hist. cap. 9*, de aliis Imperatoribus vero liber I. Cod. *tit. IV. 7. 8. de audient. episcopali*, ubi sequentia Honorii Imp. verba de Episcopis ut caussarum Arbitris leguntur: *Si qui ex con-*

ſenſu apud S. legis Antiſtitem litigare voluerint, non vetabuntur: ſed experientur illius in civili duntaxat negotio more arbitri *ſponte reſidentis judicium.* Conf. Fleury *Diſſ. VII. in hiſt. eccles. ſ.* 2. ubi de hoc antiquo more, item cauſſas decidendi methodo ex *lib. II. Conſtitut. Apoſt.* quas ante finem perſequutionum exaratas dicit, breviter meminit.

x) Auctæ hujus quoad cauſſas etiam *temporales* juriſdictionis eccleſiaſticæ rationes indicat Epitome hiſt. eccles. *Period. IV. P. II. Cap. I, n. III. ſ.* 13. Conf. Ruprecht *Not. in J. C. lib. II. tit. I. ſ.* 2.

y) Per decem priora ſecula ſimplex admodum erat judiciorum eccleſiaſticorum forma, ignotæ pariter juris formulæ, tumultus ſtrepitusque forenſis, ut ex cit. Fleurii loco, & Eliæ Dupinii *Diſſert. II. de forma judic. eccles ſ. III. n.* 1, colligitur. Conf. etiam Rigger *cit. loc. P. IV. ſ* 258. *Schol.* At renato circa ſeculum XII. cum Theologiæ ſcholaſticæ cultu juris quoque Romani ſtudio, *Clerici,* ait Fleury *Inſtit. Jur. Eccles. P. III. cap I. ſ. 5.*, *juri Juſtinianeo tantundem vel amplius operæ impenderunt, ac canonibus imbiendis, tanto ſucceſſu, ut ſeculo XIII. omnis generis lites cauſſasque deciderent, veteri agendi modo neglecto, formularum ambagibus & tricis forenſibus in judiciis eccleſiaſticis adeo multiplicatis, ut civilem etiam procedendi ordinem ſuperarent.* Juſtinianus edixerat quidem: *abſurdum Clericis eſſe, imo opprobrioſum, ſi peritos ſe velint oſtendere diſceptationum forenſium L.* 41. *cod. de Episcop.* at nec lex iſta, nec iteratæ prohibitiones canonicæ *Cap.* 3. 10. *Ne Cler. vel Monach.* impedire poterant, quominus pleraque judicia civilia Clericis, ſolis propemodum eo tempore litteras pingere ſcientibus, & jurium peritis, concrederentur, in quæ eandem litigandi, & pro-

procedendi normam introduxerunt, ſe non jam arbitros, verum plurimarum cauſſarum civilium judices ordinarios exiſtimantes. Quo demum abuſu excitati Principes de revocandis ad judicia ſua cauſſis temporalibus cogitare cæperunt.

a) *Neque tamen id ægre habeat Episcopos*, ait Schenkl *§. 378. Schol*, *cum hac ratione onere ſat gravi leventur, quo ſe utique gravatos ingemuere, & levatos dudum optarunt* Ambroſius Auguſtinus, *lib. VI. Conſeſſ cap 3. de opere Monach. lib. XXIX. in Pſalm. CXVIII. & alibi:* Sydonius, Syneſius, *aliique Præſules religioſiſſimi* Conf. Ruprecht *Not. in J. C. lib. II tit I. §. 2.*

a) Vid. *Receſſ. Imp. noviſſ. §. 164. Capitulat. Cæſar. Art. XIV. §. 4 5:*

§. VI.

NEXUS ECCLESIAE CATHOLICAE ET PROTESTANTIUM IN GERMANIA.

I. Circa Religionem, ejusque exercitium.

1) Præter Religionem *Catholicam* illæ quoque *Lutheranorum*, & *Reformatorum* jus Civitatis per *Pacem Weſtphalicam* obtinuerunt. *b*) Idcirco.

a) Imperator etiam *Proteſtanticæ* Religionis, ne publica ejus ſecuritas lædatur, Supremus Protector cenſeri debet; *c*)

b) liberaque in Imperio cuilibet unam, quam libuerit, ex tribus his Religionibus profitendi

tendi facultas, absque omni violentia aut contumelia, aut quacunque actione conscientiæ vel Religionis ipsorum principiis contraria, concedenda est, iis omnibus, quæ in hæreticos alias constituta sunt, quoad harum Religionum consortes abrogatis; *d*)

c) nulla tamen alia præter nominatas Religio in Romano Imperio recipiatur, vel toleretur, unde merito *Autonomia* illa, seu quamvis indeterminatam Religionem profitendi libertas excluditur. *e*)

b) Ita, ut qud uni justum est, alteri quoque justum sit. *Instr. P. O. Art. V. §. 1. VII. §. 1:*

c) *Capitulat. Cæsar. Art. I. §. 10* qui ita sonat: So viel aber in diesem Artickel den Stuhl zu Rom, und die Päbstliche Heiligkeit betrift, wollen die der Augsburgischen Konfession zugethane Kurfürsten für sich, und ihre Religionsanverwandte — — uns damit nicht verbunden haben, gestalten denn auch gedachte Advocatia dem Religion- und Profan- auch dem Münster- und Osnabrückischen Friedensschluß zum Nachtheil nicht angezogen, noch gebraucht, sondern dem obgedachten Kurfürsten, und sämmtlichen ihren Religionsverwandten im Reiche gleicher Schutz geleistet werden sollte.

d) *P. W. Art. V. §. 1. 35. 48. & Art. VII. §. 1.*

e) *P. W: Art. VII. §. 2*

2) Nihilominus in eodem Instrumento potestas quamlibet ex tribus his Religionibus in suum Territorium invehendi, seu *Jus reformandi* novum concessum est *f*)

a) om-

a) omnibus Statibus Imperii *immediatis*, comprehenſa etiam *immediata* ejus Nobilitate, & illis *liberis Civitatibus*, in quibus anno normali 1624. unius tantum viguit Religionis exercitium; *g*)

b) & quidem cum hoc jure eccleſiaſticam quoque jurisdictionem, ſalvis ſemper Religionum principiis, comprehenſam, & cum *jure territoriali* conjunctam tum tenor verborum, tum mens Tractantium, prædominansque apud Proteſtantes Syſtema Eccleſiæ *territoriale* ſatis evincunt; *h*)

c) ut adeo eandem jurisdictionem eccleſiaſticam *Episcopus* etiam *catholicus* in ſubditos Proteſtantes *ſui Territorii* retineat, cum in P. W. Art. V. §. 48. non jurisdictio eccleſiaſtica Dominorum *Territorialium*, ſed *jus dioeceſanum* Episcoporum ad *aliena* etiam Territoria ſe extendens ſuspenſum ſit; *i*)

d) hæc vero jurisdictio cum Statibus qua talibus *cum jure territoriali* competat, Imperatori quoque, & ſummis Imperii Dicaſteriis *ſubordinatur*, ipſa imperii indole, ſalute, ac obſervantia ſic exigentibus. *k*)

e) *Conditio* tamen exercendi *juris reformandi* hæc ſtabilita eſt, ut poſſeſſum a Landſasſiis, Vaſallis, & Subditis in anno normali Religionis exercitium cum adnexis ſalvum maneat. *l*)

f) Conf. *P. W. Art. V.* §. 29. 30. 48.

g) Ex eo; quod in Pace Religiosa jurisdictio Episcoporum in subditos Protestanticos sit suspensa, Principes Protestantici sibi jus reformandi sumebant occupando Episcopatus, collegia, & monasteria, eorum bona secularizando, nihil proficientibus Catholicorum protestationibus. Cum vero perspecta illis esset regula: *Quod quis juris statuit in alterum, eodem & ipse utatur*, non quidem audebant Catholicis jus reformandi denegare, omnibus tamen viribus in pace Westphalica laborabant, ut illud lege publica stabiliatur. At nolebant Catholici jus reformandi in illos transferre, nisi prius edant titulum, ex quo jus istud prætendant. Allegabant illi pro titulo jus *superioritatis territorialis*, atque parum abfuit, quin Catholici annuerent. At rebus melius inspectis intellexerunt Catholici titulum superioritatis territorialis, illegitimum, & jure divino reprobatum esse, ideo de titulo alio quasi medio, cum pax aliter obtineri haud potuerit, fuit cogitatum, & in id conventum, ut pro titulo juris reformandi adsumeretur *praxis Imperii* fundata tamen in superioritate territoriali, quatenus praxis haberet rationem tituli, superioritas autem territorialis esset conditio, sine qua non. Ideo vero Catholici maluere praxim Imperii, quam Jus Territorii in titulum adsumere, quia nomen praxeos est potius nomen facti, quam juris, atque adeo pro mera usurpatione, in quam ex necessitate a Catholicis conscendendum fuit, accipi potest. Inde vero consequitur jus reformandi nec soli qualitati feudali, seu dominio directo, nec jurisdictioni criminali, nec juri patronatus, nec advocatiæ &c. esse adnexum. *P. W. Art. V. §§. 42. 44.* Conf. Schenkl *cit. loc. § 382. Schol. 2.*

h) *P. W. cit. loc. & Art. VIII. §. 1.* De *jurisdictione impropria* hic sermonem esse, per se patet; vid. Schenkl *§. 390. Schol. 1.*

i) Ex-

i) Exceptio Episcopi *Osnabrugensis P. W. Art. XIII.* *§ 8.* firmat regulam in contrarium. Conf. Schenkl. *cit. loc. Schol. 2. item §. 391. Schol.*

k) *P. W. Art V. §§. 53 55.* Conf. Schenkl §. 392.

l) *P. W. Art. V. §. 31.*

3) Jus istud reformandi *vim Regulæ*, anni vero normalis possessio rationem *Exceptionis* ex tenore ipso, & ordine Instrumenti Pacis, ac mente Paciscentium obtinet; *m*) unde

a) Dominis territorialibus *certis* Jus Simultanei innoxii, seu jus, salvo vigente in anno normali Religionis exercitio, aliam præter hanc Religionem introducendi abnegari haud potest, præsertim cum alia P. W. interpretatio in Caussis *Hildesiensi*, & *Haxteriana* admissa non sit, priorum vero Pactorum *Hildesiensium* per Pacem istam abrogatio, aliaque, quæ objiciuntur, exempla ad simultaneum crudum referenda sint, & novioribus Regis *Porussiæ* & Electoris *Hannoverani*, Catholicis Religionis exercitium, templaque concedentium, exemplis compensentur. *n*)

b) Subditi autem nulla anni normalis possessione muniti vel *emigrare* ipsi poterunt, vel a Domino Territorii *non controversi* ad emigrandum *compelli*; *o*)

c) nisi potius Subditos ejusmodi a sua Religione diversos *transplantare* in alium quem-

dam Ditionis suæ locum velit, quod Princeps, si modo gravia a *transplantatione* respectu Subditorum incommoda absint, jure potest cum unica concessæ emigrationis ratio in conscientiæ & exercendæ Religionis libertate fundetur;

d) sive vero *sponte* emigrantes, sive ad emigrandum *coacti* favoribus in P. W. Art. V. §§. 36. & 37. definitis perfruantur;

e) ceteros anni normalis possessione destitutos, quos tamen Princeps ad emigrandum haud cogere, sed *gratiosa* donare vult *Tolerantia*, benique, & patienter tractare, nilque ipsis conscientiæ aut Religioni eorum contrarium iujungere debebit; *p*)

f) quicunque vero Subditi exercitii suæ Religionis possessionem in anno normali habuere, eam cum *adnexis*, quatenus dicto anno exercuerunt, vel exercita fuisse *probare* poterunt, imposterum quoque tuti retineant. *q*)

m) *P. W. Art. V. §§.* 30. 31. 33. Conf. Schenkl. *cit. loc. §.* 384 Neque opponas *Art. V. §.* 23. ubi anni normalis observatio instar Regulæ obtinere dicitur; nam quævis exceptio potest pro casu excepto regula particularis dici, quin intuitu regulæ generalis exceptio esse desinat.

n) *Symultaneum crudum* illud dicitur: quo Religionis prioris exercitium partim tollitur, aut impeditur; tale Paci W. adversari facile largimur. At *simultaneum innoxium* statim post Pacem W. non modo adsertum, sed etiam in praxim deductum est; utpote quo admisso liberum Religionis exercitium, de quo solum Protestantes subdi-

subditis suis prospici volebant, non restringitur. Conf. Barthel *diss. alt. de eo quod circa liber. exercit. Relig. Cap. 3 §. 19. & Cap. 4 §. 21.*

o) *Libertas emigrandi* data est ad instantiam inprimis Protestantium. Hi laborabant quam maxime pro impetranda *Autonomia*; at Ferdinandus Imp. declaravit, se malle abrumpere omnes tractatus pacis, quam in hoc consentire. Ut tamen libertati conscientiæ quodammodo consulerent, in id consensere status, & Imperator, quod subditis diversam a Domino territoriali religionem profitentibus emigrare liceat; aut si nollent: posse eos a Principe, a quo necessario tolerari non debent, ad emigrandum cogi concesso tamen iis vel *quinquennii*, si ante, vel *triennii* spatio, si post P. Relig. religionem mutarunt, aut in illo loco sedem fixerunt. *P. W. Art. V. §§. 36. 37. 43.*

p) *P. W. Art. V. § 34.*

q) *P. W. Art. V. § 31.*

4) Etsi autem annus 1624. inter Catholicos & Protestantes *normalis* in genere ac decretorius dicatur, notandæ tamen quædam *exceptiones* sunt: nempe

a) inter Dominum *Catholicum* & Subditos *Protestantes*, & contra, totus annus 1624. & quælibet anni pars normæ rationem obtinet; inter ipsos vero Status *Catholicos & Protestantes inter se*, *prima* dies *Januarii* ejusdem anni decretoria est; r)

b) inter *Protestantes*, quatenus *duas*, Lutheranorum, & Reformatorum, *partes* constituunt, annus 1624. pro regula haud ser-

 vit,

vit, ſed ſpecialiter quoad jus reformandi inter eos fuit conventum, ut Princeps alienæ a ſubditis Religionis nil omnino in Sacris anno 1648. vigentibus immutare, ſed *Concionatores* ſolum *aulicos* ſibi in ſua Reſidentia habere poſſit; *s*)

c) Ditiones *Austriacas* ea, quæ circa jus reformandi & annum normalem in P. W. ſtatuta ſunt, *præter ibidem conceſſa* non tangunt. *t*)

d) *Palatinatui ſuperiori* & *Comitatui Cambenſi* annus 1648. in profanis æque ac eccleſiaſticis pro norma adſignatus; *inferior* autem *Palatinatus* & *Marchionatus Badenſis*, ut in eum ſtatum, in quo ante *motus Bohemicos*, ſeu ante annum 1618. fuerant, reſtituantur, decretum eſt. *u*)

e) In locis a Rege Galliarum per pacem *Ryswycenſem* reſtitutis ipſum annum concluſæ Pacis 1697. normalem eſſe ex ipſa Pacis hujus clauſula liquet; *v*)

f) denique *ſpecialibus Pactis* inter Dominos Territoriales & eorum Status provinciales aut Subditos initis contra annum alias normalem alicubi exceptum eſt.

r) *P. W. Art. V. §. 43.*

s) *P. W. Art. VII. §. 1.*

t) *Harum intuitu Regia Majeſtas Sveciæ & Auguſtanæ Confeſſionis Ordines ſibi nihil aliud reſervarunt, quam facultatem apud ſuam Cæſaream Majeſtatem pace tamen ſemper permanente, & excluſa omni hoſtilitate ulterius reſpective interveniendi, & demiſſe intercedendi. Art. V. §. 41. item §. 38. 39. 40. P. W.*

u) *P. W.*

u) *P. W. Art. IV. §§. 3. 6. 26.*

v) Conf. Præcognit. *Cap. II. §. III. n. III. 4.*

II. Circa Perſonas eccleſiaſticas.

1) Jura Principum in has perſonas.

a) Ut principia Religionis Catholicæ ſalva maneant, ſicut nec Principi Catholico in perſonas eccleſiaſticas catholicas *qua tales*, & quatenus a ceteris adjunctis præſcinditur, ulla poteſtas competit (§. præced. III. n. I.) ita nec Proteſtantico Principi plus ſibi in eas arrogare juris licebit;

b) ſed in Eccleſiaſticos ſeu Miniſtros Proteſtanticos ex ipſorum principiis ampliora Principi Catholico æque ac Proteſtantico jura naſcuntur ex ſyſtemate ipſorum *territoriali*, non *collegiali* recens excogitato deducenda.

2) Jura ipſarum Perſonarum eccleſiaſticarum *certæ Religioni addictarum.*

a) Epiſcoporum *Catholicorum*, ſi ſimul Domini *territoriales* ſint, jurisdictio ſacra in Subditos *Proteſtanticos* circa ea, quæ Auguſtanæ Confeſſioni, & ipſorum conſcientiis non repugnant, ſalva perſiſtit. x)

b) In *Proteſtantes* vero Dominis *Catholicis aliis* ſubditos tunc ſolum ſimilis Epiſcoporum jurisdictio locum habet, ſi eam in anno normali agnoverunt; z)

c) quo-

c) quoad *Protestantes* Domino etiam *Protestantico* subditos ecclesiastica Episcoporum jurisdictio quoad omnes suas species suspensa est, sola exactione redituum, censuum, & pensionum, si Catholici in possessione, vel *quasi-exercitio* jurisdictionis anno normali fuerunt, excepta; z)

d) tandem in *Catholicos* Statui *Protestantico* subjectos Episcopi jurisdictionem suam, quatenus anno normali exercuerunt, retinebunt; *a*)

e) imo & iisdem Episcopis in *Catholicos*, etiam non vi anni normalis, sed gratiose tantum a Principe Acatholico toleratos jurisdictio sacra quod ea saltem certo adjudicanda est, quæ cum Religione Catholica *per essentiam* connectuntur.

x) *P. W. Ant. V. §. 40.*

y) *P. W. Art. V. eodem.*

z) *ibidem eodem.*

a) *P. W. Art. §. eodem.*

3) Personæ ecclesiasticæ *ad aliam Religionem transeuntes*,

a) Dignitate & Beneficiis vi Reservati *b*) excidunt, *famam* tamen, *æstimationem bonaque alias juste* adquisita retinent; *c*)

b) haud tamen Religionis mutatio modus esse potest bona prius amissa vel *libere*, *licite* & *valide* abdicata recuperandi; *d*) unde & Catholicus *Regularis* Dominium quorumcunque

cunque bonorum, quibus per ſacram Profeſſionem renunciavit, per hunc tranſitum non obtinet, nec ad natos ei fors liberos transmittit; *e*)

c) argumenta inſuper haud levia ex Actis etiam P. W. deſumta probare videntur, Religionis facultatem mutandæ Religioſis indultam haud fuiſſe, ſed pœnis *Apoſtaſiæ* in eos poſſe animadverti.

b) De *Reſervato* dicta ſunt quædam *Cap. II. præcognit. §. II. n II. 1. not s.*)

c) Per Pacis W. *Art. V. §§. 15. 35*

d) Certe hanc vim recuperandi bona mutationi Religionis nec Pax Weſtphalica, nec jus quodvis aliud addixit.

e) Quod enim jus quiſpiam non habet, ad natos ſibi liberos transmittere haud poteſt: at *Regularis* libere, licite, abſolute abdicavit ſe jure bonorum ſuorum per Profeſſionem: jus iſtud per Religionis mutationem non recuperat (*not præced.*) qua ratione igitur illud ad liberos transmittet, de quibus naſcituris tempore renunciationis nec ſperare debuit, nec potuit? Ceterum 1) libertas conſcientiæ eapropter æque parum læditur, atque per Reſervatum eccleſiaſticum; 2) neque etiam hæc bonorum jactura mutationi Religionis, ſed liberæ renuntiationi ſolummodo debetur.

III. Circa Bona eccleſiaſtica.

1) Hæc vi P. W. diſtinguuntur

a) in *immediata* ſeu Imperatori vel Imperio *immediate* ſubjecta, et

b) in *mediata*, quæ in Statuum Territoriis sita, horumque Juri territoriali proxime subdita sunt.

2) Facta in eadem Pace dispositio, ut

a) eorum quædam Protestantibus relicta, & secularizata fuerint, ut Archiepiscopatus *Magdeburgensis*, *Bremensis* &c.

b) alia vero etsi Protestantibus concessa, in ordine tamen ecclesiastico remanserint, ut Episcopatus *Osnabrugensis alternatim*, *Lubecensis*, Abbatia *Quedlinburg* &c.

c) aliorum tandem *restitutio* duplici adsignato termino decreta sit.

3) Restitutio ex capite Amnestiæ,

a) ii omnes illam petere possunt, qui occasione motuum Bohemiæ & Germaniæ *f)* damni quidpiam vel præjudicii passi sunt; *g)*

b) unde cum vi Conclusi in eum statum, in quo *ante hos motus* fuere, restitutio fieri debeat, quidam annum 1618, quo sua hi motus sumsere initia, alii vero totum tempus a P. R. ad illos usque decurrens pro termino decretorio habendum censent; *h)*

c) hæc autem restitutio salvis nihilominus *litibus* fors jam in judiciis Imperii motis, aut *juribus tertii*, quæ hoc Decreto non obstante prosequi licet, intelligenda est. *i)*

f) Amn

f) *Amnestiæ* nomine intelligitur, injuriarum, & offensionum motuum Bohemicorum occasione illatarum in perpetuum statuta oblivio. Motus Bohemici vero sequente ratione orti sunt: Rudolphus II. an. 1609. Evangelicis in Bohemia Statibus plenam Religionis libertatem litteris Majestaticis firmavit. Rudolpho successit Mathias, qui an. 1617 Archiduci Ferdinando Regnum Bohemiæ, reservato sibi ad dies vitæ supremo dominio cesserat. Ferdinandus ea sub conditione a Proceribus Bohemiæ Rex salutatus est, ut privilegia, & speciatim litteras Majestatis a Rudolpho concessas confirmaret. Mortuo Mathia Proceres nihil sibi boni sperantes a Ferdinando Fridericum V. Electorem *Palatinum* reformatæ Religioni addictum Regem sibi eligunt Ferdinando repudiato. Iste jura sua vindicaturus sub initium benigne cum Friderico, & Bohemis egit, sed caruere monita effectu; quapropter ad bellum ventum est, quod tricennalis in Germania belli erat initium, quodque infaustissimum pro Bohemis & Friderico *Palatino* effectum habuit; hic enim cæsus anno 1620. a copiis Cæsareis ad Pragam cum Regno, quod occupaverat, & Electoratum suum amiserat; Bohemorum vero multi vinculis, exiliis, bonorum privatione plexi, totaque natio ab eo tempore Religionem Catholicam suscipere coacta; nam litteras Majestaticas Rudolphi II. extradere Bohemi & Moravi jubebantur.

g) *P. W. Art. III. § 1.* Quædam tamen exceptiones *Art. IV. §. 53. 54* & alibi factæ sunt.

h) Conf. Zallwein *Tom. III. Q. II cap 6. §. 5.* Qui annum 1618. decretorium esse volunt, his utuntur passim argumentis: 1) non est verosimile summos Paciscentes terminum restitutionis adeo vagum & indeterminatum voluisse decernere;

cernere; 2) caussa petendæ restitutionis sunt motus Bohemici, at hi inceperunt an. 1618. ergo dictus annus recte pro termino restitutionis ex capite amnestiæ adsumitur. Ad hæc vero reponunt alii: 1) anni hujus in Art. III. §. 1. nullam fieri mentionem; 2) ex verbis: *ante motus Bohemicos gavisi sunt*, terminum quemdam decretorium cum ratione erui non posse. At missa hac lite animadvertimus, ad obtinendam ex capite amnestiæ restitutionem duo requiri 1) ut damnum *occasione motuum* Bohemicorum, 2) & quidem ab una vel altera *fœderatorum parte* sit illatum.

i) *P. W. Art. III. §. 2.*

4) Restitutio ex capite gravaminum obtinet

a) quoad bona *immediata* quæcunque, & etiam *mediata*, in quorum possessione *Status* prima die Januarii an. 1624. fuerunt; k)

b) pro *Subditis* vero annus 1624. *integer* pro termino & norma stabilitus est; l)

c) demum circa hanc restitutionum quæcunque lites, aut actiones sublatæ sunt, sed *nuda possessio*, seu justa seu injusta, adtenditur. m)

k) *P. W. Art. V. §§. 2. 14. 25 &c. 46. &c.*

l) *P. W. Art. V. §. 31.*

m) *P. W. Art. V. § 14.*

IV. Circa Caussas ecclesiasticas.

1) Caussæ Religionis vel solorum *Catholicorum*, vel solorum *Protestantium*.

a) *Illa*

a) *Illæ*, ſi vere, ac mere eccleſiaſticæ ſint, Rectoribus Eccleſiæ Catholicæ juxta ipſorum principia, & regulas ſupra §. V. n. I. huj. Cap. datas definiendæ ſunt;

b) *hæ* vero Dominorum territorialium, Cæſaris & Archidicaſteriorum judiciis ſubſunt. Vid. huj. Cap. §. VI. n. I.

2) Cauſſæ Religionis inter Catholicos, & Proteſtantes controverſæ,

a) ſi ſint *judiciales*, ſeu ſatis a Legibus definitæ, & ſolam applicationem earum judicialem exquirant, in foro Dominorum territorialium, vel Summorum Imperii Tribunalium terminentur, etiamſi vota *paria*, ſed tamen ex Catholicis & Proteſtantibus *promiſcua* ſint; *n*)

b) ſi vero res *controverſæ* vel nondum ab aliqua lege deciſæ ſint, vel lex *interpretatione* adhuc *authentica* indigeat, aut vota *paria*, & ſimul *pura* in Archidicaſteriis evenerint, *amicabili Compoſitione* in Comitiis definiendæ ſunt. *o*)

n) *P. W. Art. V. §§. 33. 56. Ordinat. Camer. P. I. tit. 25 §§. 4. 5.*

o) *P. W. Art. V. §§ 50. 52. 56.*

3) Amicabilis ergo compoſitio in Comitiis vel Conventibus Imperii vi P. W. ex plurimorum ſententia obtinet

a) in rebus *Religionem* concernentibus & inter utriusque Religionis Conſortes revera *dubiis*, ac proin non in eo caſu, quando e.

g. de nova prorſus Religione in Imperio toleranda ageretur; *p)*

b) in cauſſis, ubi Status tamquam *unum Corpus* conſiderari nequeunt, ubi cauſſas equidem *politicas*, nexum tamen manifeſtum ſive *realem* ſive *perſonalem* cum Religione habentes intelligimus; *q)*

c) in cauſſis, ubi Status *in duas partes* eunt, ſeu quando *omnes*, *& ſoli Catholici unam*, & *omnes Proteſtantes alteram* partem conſtituunt. Huc ut Summos Paciscentes a tavtologia liberemus, illa negotia referimus, in quibus nexus equidem cum Religione *perſpicue non* adparet, *ſubeſſe* tamen aliquo jure *timetur*; ut nihilominus Religio unica ſit ratio, cur votorum pluralitas, a Jure Publico Univerſali præcepta, omiſſa, & via amicabilis compoſitionis in hac parte conſtituta ſit; *r)*

d) falluntur vero Proteſtantes quidam, qui hanc *itionem in partes* per *votum commune*, ſeu per *majora* ſolum, tanquam *Corporis evangelici*, ſuffragia obtineri contendunt. *s)*

p) P. *W. Art. V.* §. 52.

q) P. *W. Art eodem.* Conf. Schenkl *cit. loc.* §. 400. *Schol.*

r) P. *W. Art. & §. eodem, & §.* 56. Quod vero Proteſtantes omnes cauſſas controverſas Religionem ſive directe ſive indirecte concernentes non niſi amica Compoſitione terminandas eſſe voluerint, ratio eſt: ne ullum præjudicium libertati Religionis, ſiquidem diſſentientes etiam pluralitati votorum adquieſcere tenerentur, adferatur.

s) Clara

s) Clara etenim obſunt P. W. *Art. V.* § 56. verba huicque prorſus novo decidendi modo, Imperii Syſtemati adeo adverſo, Catholici ſemper, imo & plures Proteſtantium merito contradixere, Conf. Schenkl *cit. loc.* §. *401. Schol.*

4) Modis igitur in P. W. Cauſſas decidendi terminatis pronum eſt:

a) nullum jam locum eſſe Avtodikiæ, ſeu defenſioni vi & armis ſuscipiendæ, niſi in cauſſis *liquidis*, & ſi jus *manifeſtum*, tentatis fruſtra remediis negaretur; *t*)

b) nec uti Repreſſaliis licebit, ceu medio violento, & non niſi Gentibus jus belli habentibus in læſione *manifeſta*, nec *aliter reparanda* permiſſo; *u*)

c) ſimili modo jus agendi pro aliis formæ judiciorum, & tranquillitati Imperii contrarium nullo P. W. argumento nititur cum equidem Art. XVII. §. 5. univerſis Tranſactionis Conſortibus, ut leges pacis tueantur, præcipiatur, ſed *læſi* tantum & *lædentis*, non autem *tertii* mentio fiat; *v*)

d) conceditur tamen Catholicis æque ac Proteſtantibus jus intercedendi, & ſua gravamina proponendi, modo juſtos limites non egrediantur. *x*)

t) Perſvadent id 1) ſcopus & hiſtoria Pacis: 2) verba Pacis ſæpius ac præcipue *Art. V.* §. *1.* & *55.* violentiam, & viam facti prohibentia, quibus non adverſantur ea ex *Art. XVII.* §. *6.* utpote quæ non niſi de cauſſis liquidis, claris, nec alio remedio finiendis intelligenda ſunt; 3) Contextus ipſe & verba ibidem §. 71. poſita:

Ea

Et nulli omnino Statuum Imperii liceat jus suum vi vel armis prosequi — si quid controversiæ — unusquisque jure experiatur, secus faciens reus sit fractæ pacis: 4) ipsa æquitas & transigentium prudentia. Et vero quid æquitati minus consentaneum, quam si paciscentium pars una pacta publica authentice ipsa sola interpetari, imo statim in sui favorem exequi velit? Quid paci & tranquillitati periculosius, quam si equidem Civitatis Membris jus dubium vi armisque vindicare, & extorquere liceat? Fac id licere, jamque data est porta violentiis, imo *jus manuarium* redibit postliminio. Ita Schenkl §. 402. *Schol.* 2. Conf. Sündermahler *diss: duæ de hac re.*

u) *Repressaliæ* igitur circa caussas Religionis dubias justissime prohibitæ sunt sæpius in Recess; Imp. ac ipsa P. W. *Art. XVII.* §. 7.

v) Conf. Sündermahler *dissert: de jure agendi in. causs. relig: non cuivis permisso.*

x) Litteras *intercessorias* acceptare, & *responsorias* dare tenetur Cæsar vi Capitulat: *Art. I.* §. 11. Quodsi vero illæ nil nisi inquietorum subditorum vanas continerent querelas, quodsi non tam supplicantis, quam jubentis & minitantis speciem præferrent, ipsaque exequutio absque omni necessaria caussæ cognitione confestim postularetur, tum quidem lædi iisdem Majestatem Cæsaris, & æquitatem, quis non videt? Plura ad Jus Ecclesiasticum Publicum Germaniæ pertinentia scripsit Zallwein & a Rigger in *J. E. Germ.*